Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
ROMA
8 M
23 — D
33

BIBLIOTHECA CLERR. REGG. S. PAULI
COLLEGII SS. BLASII ET CAROLI DE URBE
PLUT. O. LOCULUS I. NUM.

18

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

PALLIVM
ARCHIEPISCOPALE

AVTHORE

NICOLAO DE BRALION

PARISINO,

CONGREGATIONIS ORATORII D. N. I. C. PRESBYTERO.

Accedunt & primùm prodeunt Ritus & forma benedictionis ipſius, ex antiquo Manuſcripto Baſilicæ Vaticanæ.

PARISIIS,
Apud Viduam IOANNIS CAMVSAT,
ET
PETRVM LE PETIT, Regis Typographum, viâ Iacobæâ, ſub ſigno aurei Velleris.

M. DC. XLVIII.
Cum Priuilegio & Approbatione.

Digitized by Google

Digitized by Google

EMINENTISSIMO PRINCIPI
S. R. E. CARDINALI
FRANCISCO BARBERINO
VRBANI OCT. PONT. OPT. MAX.
E FRATRE NEPOTI

Apoſtolicis Legationibus à Latere functo, S. R.E. Vicecan. Baſilicæ Vatic. Archipreſbyt.

NICOLAVS DE BRALION, Cong. Orat. I. C. D.N. Preſb. P.F.

SACRILEGÆ pœnis penè mulctandus viderer (FRANCISCE CARDINALIS EMINENTISSIME) ſi pallium hoc, non auſpi-

ciis tuis, nec abs te facultate facta in publicum prodiret. Cum Vaticanæ Baſilicæ Archipreſbyteratus Eminenti dignitate fulgeas, ſanctiora, quæ in ea ſunt depoſita (inter quæ, ſacra Pontificum pallia, non vltimnm locum tenent) tanti muneris vigilantiſſimæ tutelæ commiſſa ſunt. Quidni etiam te Principum Apoſtolorum Protectorem abſque adulationis nota hac lege prædicarim cum ſacra illorum pignora, inibi religioſo cultu, ac totius orbis concurſu præſentia colantur?

Addo inſuper, nec ideo anathematibus in nouatorum aut ſchiſmaticorum capita vibra-

Digitized by Google

tis ſubiacere timeo, in cathedra Petri, etſi non ſedes, ipſi tamen eodem iure tu præſides. Inſigne etenim illud antiquæ fidelium pietatis monumentum, ad noſtra vſque tempora conſeruatum, in eodem Auguſto templo venerabundi conſpicimus. Sed & ſimul arcula deſuper poſita cernitur, ſanctum diſtribuendorum Metropolitis palliorum promptuarium. Cum ergo iure dignitatis tuæ horum fidelis Cuſtos exiſtas, quis audeat, niſi auſu temerario ipſa vel tangere, aut de his diſſerere, vt nunc mihi in animo eſt, niſi te authore, te fautore.

Sed & ſi illa dignitatis tuæ

Digitized by Google

ratio defuerit, alia ſanè non minoris momenti à me exigit, vt hanc meam de pallio diſſertationem tuo nomini conſecrem dicemque. Dicam de te ſine crimine, quod illæſa ſummi Pontificis Majeſtate vix dici poſſe videatur. Non modo ſacra pallia tua authoritate ſeruas, ſed & ipſa Præſulibus, quibus concedenda ſunt iure quodam tibi propria virtute acquiſito mittere tuum eſt. Quid enim aliud agis, cum Paſtoralium virtutum, quæ myſticè in ipſis deſignantur, tot illuſtria exempla Principibus Eccleſiæ exhibes? Albeſcit profectò tua purpura myſtico & lucenti redimita candore ſacri
Digitized by Google

pallij, quod quidem ſi non fers, nihilominus, quod maius eſt, optimè refers. Par eſt igitur, vt quod verbo & exemplo tam bene doces, etiam ſcriptione hac, quam tibi offero, & quæ ex voto meo præcipuè tua eſt, fortiter ſuadeas.

Et vero ſi hac ratione teipſum in ea myſtico pallio deſcriptum, in exemplum propoſueris, id tamen abſque vlla animi elatione à te factum, quiuis ſanè mentis facile exiſtimabit: Quis enim neſcit, nihil tibi antiquius eſſe, quam virtutes tibi proprias, pallio modeſtiæ animi pulchrè exornare, vel potiùs diligenter cooperire. Equidem niſi ipſæ, nutu di-

Digitized by Google

uino in excelſo Eccleſiæ monte, communi Chriſtianæ Reipublicæ bono poſitæ, ceu lucernæ collucentes eminentiſſimè apparerent, procul dubiò ipsâ tuâ modeſtiâ tu nobis eas caute palliares.

Quin etiam nunc ipſam me de his tacere iubentem audio. Taceo igitur, taceo. Vnum hoc attamen non tacebo, nec vnquam palliari patiar, immo æternum & vbique propalabo; Me ſic tacentem, teque talem, tantumque ſuſpicientem ſemper forè, obſeruantiori quam quiuis alius animo, eminentiſſimæ tuæ virtutis admiratorem.

Vale Cardinalis ſemper op-

Digitized by Google

timè, & Congregationem noſtram, tibi addictiſſimam, cui tanta benignitate fauere ſoles, Pallio tuæ authoritatis continuo refoue. Pariſiis Kal. Nouemb. M. DC. XLVIII.

Digitized by Google

D. O. M.
DIVO. CAROLO.
INCLYTÆ. BORROMEORVM. FAMILIÆ.
ÆTERNO. DECORI.
PVRPVRATORVM.
ECCLESIÆ. PRINCIPVM.
IMMORTALIS. MEMORIÆ CORYPHÆO
PRIORIBVS. ILLIS.
NASCENTIS. CHRISTIANÆ. REIBVB.
PRIMATIBVS.
ÆQVISSIME. COMPARANDO.
MAGNI. AMBROSII.
LABILI. MORTALIVM. ÆVO. LICET.
MINIME. ÆQVALI.
CERTE.
CONSTANTI. ANIMI. FORTITVDINE.
IN. TVENDA.
ECCLESIASTICA. LIBERTATE.
ET. DISCIPLINA.
PASTORALIQVE. VIGILANTIA.
IPSI. IN. EIVS. SEDE.
MAXIME. COÆQVALI.

Digitized by Google

IDEOQVE. VNA. CVM. IPSO.
METROPOLITIS. RARISSIMO.
ET. AD. IMITATIONEM. PERPETVO.
SVSPICIENDO. EXEMPLARI.
DELINEATIONEM. HANC.
SACRI. PALLII.
QVOD. EST. PLENITVDINIS.
POTESTATIS. EORVM.
VENERANDVM. INSIGNE.
SED. QVOD. ILLE. INSIGNIBVS.
ET. DECRETIS. ECLESIÆ. CATHOLICÆ.
PIO. SACROQVE. CVLTV.
COLENDIS. VIRTVTIBVS.
MIRIFICE. REPLEVIT.
NICOLAVS. DE. BRALION.
CONG. ORAT. D.N.I.C. PRESBYTER.
DEVOTISS. OBSERVAN. SYMBOLVM.
OFFEREBAT.
A. R. S.
M. DC. XLVIII.

Digitized by Google


Mellan in.
G Ladame ſculpſit

PRÆFATIO

APPARATVS LOCO.

De ſacris Indumentis, & de Pallio in genere, nec non eius, Quot ſpecies.

PLorantes naſcimur, deplorantes ſcilicet miſeram conditionis humanæ vicem, non tam quod à natura nudi ſumus, quam quod capitali delicto prothoplaſti, & communis omnium parentis, in nos membra eius infœlicia transfuſo, à natiuitate nuditatis incommoda ſentimus. Naturalis namque nuditas vigeſcente innocentiæ ſtatu, nullatenus aut nobis verecundiæ cauſa, aut

Digitized by Google

ſibimetipſi iniuriæ, ob aëris iuſte nunc diuinam maieſtatem vlciſcentis intemperiem, occaſio fuiſſet. Neceſſaria igitur fuere, etiam à primæuo hominis, & vniuerſi terrarum orbis ortu, ſuccedente, atque auream illam inſontis vitæ felicitatem expellente peccato, corpori humano, tum ad honeſtatem, tum ad ſubleuamen indumenta.

Enimuero, ſatis erant neceſſitati folia, & pelles, ni talia curioſitas expelleret, & in neceſſariis etiam ornatum quæſiuiſſet. Hinc neceſſitatis prætextu prætextæ veſtes hinc Phrygianæ, hinc Attalicæ & alia id genus vanitatis & faſtus inſignia. Quod autem curioſius ita inuentum eſt, æquius prudentia politica vel ad officij dignitatem, vel ad majeſtatem Imperij tranſtulit, cum purpura, diademate, thiaris, aut coronis, primates & Reges ſuos exornare cœpit. Sed

De veſtibus Cælius lib. 10. cap. 10. & 11. De Attalicis Plin. lib. 8. & 33.

æquiſſime tandem illuſtria hæc ornamenta, vt & alia, Religio ad repreſentendam in Sacerdotibus & Pontificibus ſuis ſummi Dei maieſtatem, nec non ad tropologicas & myſticas ſignificationes, ſibi vendicauit.

Certe ſtatim ac in Aarone (nam Ethnicos prætereo) Sacerdotium præteritæ Legis inſtitutum fuit, prætioſiora, quæ in rebus humanis reperiri poſſent, provt in ſacris litteris, apud Ioſephum, Philonem. D. Hieronymum & alios deſcribitur, tantæ dignitatis ornamento Deo iubente inſeruierunt. Quam verò potiori iure Chriſtiani ſacerdotij ſanctitas & mira virtus ſacris & pretioſis indumentis debuit ſignificari? Faceſſant igitur aduerſariorum impiæ calumniæ in aurum & gemmas veſtium ſacrarum inſutgentium, dum hæc in clara Eccleſiæ Catholicæ ſaſtus argumenta aſſumi volunt. Fatemur eam naſcen-

Exod. 28. Philo de vita Moyſis Ioſeph. l. 3. D Hier ad Fabiolam.

Digitized by Google

tem adhuc, & piorum principum liberalitate nondum ditatam ſimplicioribus, licet non minus ſanctis, vſam fuiſſe; At ipſam diuitias ſibi elargitas, habita rattone temporis, locorum, & perſonarum (nam luxus etiam hîc vitandus,) ſacro vſui, & diuino cultui addicere quis prohibeat?

Vt igitur conuenientiſſimus fuit, præſertim in noua lege, ita quoque in ipſa antiquiſſimus eſt, (vtpote qui à magnis illis Reip. Chriſtianæ fundatoribus ſanctis Apoſtolis, originem ducat) ſacrorum indumentorum, etiam pretioſiorum, prout tempus ferebat vſus. Nam, licet auctor libri de diuinis Officiis & ritibus, Gemma animæ inſcripti, videlicet, teſte Trithemio Honorius, Auguſtodunenſis Presbyter, vir eruditiſſimus, qui claruit circa annum vigeſimum ſupra milleſimum centeſimum, dicat

Honorius lib. 1. ca. 89.

dicat his ipſiſmet verbis: Apoſtoli & eorum ſucceſſores in quotidianis veſtibus, & ligneis calicibus miſſas celebrauerunt: *non tamen quod in his ſemper celebrarint eſt intelligendum, ſed quod aliquando, & ita exigente quadam primi illius ſtatus Eccleſiæ neceſſitate. Addit enim:* Sed Clemens tradente Petro Apoſtolo, vſum ſacrarum veſtium ex lege ſumpſit. *Et certe, Epiſcopos noſtros ex inſtitutione & vſu Apoſtolorum vſos fuiſſe in ſacris Mitra pretioſa, Baronius probat, cum de lamina illa aurea tractat, quam geſtaſſe Iacobum Apoſtolum, ad Epiſcopalis dignitatis ornamentum S. Epiphanius Hieronymus, ac cæteri pene omnes Eccleſiaſtici ſcriptores teſtantur. Sed & addit ex teſtimonio Polycratis, Epheſiorum Epiſcopi, Ioannẽ Euangeliſtam eodem vſum fuiſſe capitis*

Baron. an. 34.

ornamento, ex quo infert, idem exiſtimari poſſe de cæteris Apoſtolis, vultque Euſebium Cæſarienſem ad ſacram illam coronam alluliſſe dum in panegyrica oratione ſic exorditur : Amici Dei, & ſacerdotes, qui ſacroſancto podere, indumento cœleſti, gloriæ corona, diuina vnctione, & ſancta Spiritus Sancti ſtola circumueſtiti : &c. *Inſuper ex Epigrammate Ennodij de S. Ambroſio, refert hos verſus de eiuſdem ſancti Pontificis mitra.*

Serta redimitus geſtabat lucida fronte
Diſtincta gemmis: ore parabat opus.

At vero tanto præſtantiora ſunt ſacerdotij Chriſtiani ornamenta, illis veteris Sacerdotij, quanto noua lex præſtat veteri, res ipſa ſimplici vmbræ, veritas figuræ, vno verbo quanto ipſummet Sacerdotium Chriſti, ſanctius & excellentius eſt Arraonis Sacerdotio. Omnia enim ait D. Hieronymus

Digitized by Google

de indumentis ſacris veteribus ad fabiolam ſcribens, in Chriſto perfectius conſummata ſunt. Præſtantia tamen de qua loquimur non ratione pretij materiæ ſacrorum indumentorum æſtimanda eſt, quo fortaßis priſca illa ornamenta, ſaltem quoad aliqua, noſtra ſuperarunt. Immo illud ipſum de quo acturi ſumus, Pallium ſcilicet Archiepiſcopale, ſimpliciſsimum, & quaſi minimum eſt ſi materiam ſpectes; cum tamen ſit omnium præſtantiſsimum. Sed conſideranda, ſane & colligenda eſt, ex dignitate vſus cui ſpeciali benedictione deſtinantur, & ex ſanctitate ſymbolicæ ac prorſus myſterioſæ eorũ ſignificationis. Hæc namque materiam cuiusvis pretij ſummopere ſuperant. Quis enim dignior vſus quam ſacrificio aliorum omnium perfectiſsime completiuo inſeruire? & quæ ſanctior ſignificatio, ea quæ nos ad expoliandum veterem

Digitized by Google

hominem, & nouum induendum, & amplectandas perfectionis Euangelicæ virtutes, expreſſius & clarius adhortatur. Ornamenta hæc, *vt verbis Iuonis Carnotenſis vtar*, non ſunt virtutes, ſed virtutis inſignia: quibus nimirum, homines, ſed præcipuè Eccleſiaſtici tanquam ſcripturis vtentes admonentur, quid debeant appetere, quid vitare, & ad quem ſua facta dirigere.

Iuo. Carnot. de ſignif. ſac. veſt.

Sed iam ad ſecundam huius præfationis partem, quæ eſt de Pallio in genere ſeu de varia nominis Pallij *ſignificatione tranſeamus.*

Pallij varia ſignificatio.

Licet hæc dictio in ſenſu magis proprio, pro aliqua indumenti ſpecie accipiatur; in genere tamen pro quouis operimento ex aliquo panno confecto ſumi poſſe videtur. Certè ſi de rebus ſacris agatur, ad cuiusvis generis operimentum teſte Baronio, vt plurimum tranſlata eſt, vnde Venantius

Venant. Fer. lib. 2. Epigr.

Digitized by Google

Fortunatus Pallia appellat quædam vela ſanctæ Cruci in Eccleſia, quam Gregorius Turonenſis ædificauit oblata, his verſibus.

Denique ſancta Cruci hæc templa Gregorius offert,
Pallio dũ coperit ſigna gerẽda crucis.

Sed & Pallia dicuntur à Scriptoribus de diuinis Officiis, nec non in Rubricis Miſſalis, ornamenta quæ in anteriori parte Altarium apponuntur. Quin etiam peripetaſmata, quibus Eccleſiarum parietes ad ornamentum cooperiuntur Pallia à Ruperto Tituienſi Abbate & Honorio Auguſtodunenſi Presbytero dicuntur. At Pallium pro indumento ſumptum vel eſt commune vel ſacrum. *Rupert. lib. 3 de diuin. Offic. c. 23. Honor. in Gemma l. 1. cap. 137.*

Cum vero Pallium pro indumento communi ſumitur, ſignificat ſpeciem veſtimenti exterioris, quod aliis veſtimentis ſuperponitur, indeque adagium illud Tunica Pallio proxi-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE
Digitized by Google

mior, & ſecundum quoſdam ita dicitur, quod palam appareat; licet non deſint qui a pellibus deducant, eo quod aliquando ex pellibus Pallia confecta ſint. Fuit hoc genus veſtimenti proprium Græcorum, ſicut toga Romanorum, ad quos tamen poſtea tranſiit Pallium. Ideoque illi Palliati dicti fuere, hi vero togati.

Verum, indumentum illud commune, quod eſſet modeſtius & ſimplicius toga, & à ſapientiæ ſtudioſis in vſu, ac pene ſimile illi quo Iudæi & Apoſtoli vtebantur; à primis Chriſtianis quocunque degerent, etiam in vſu communi, quodammodo ſanctificatum fuit. Etenim eò vſi ſunt, ſaltem ij qui perfectioris vitæ genus profitebantur, veluti quadam teſſera Profeſſionis Chriſtianæ fidei, ſimulque ſtrictioris cuiuſdam obſeruantiæ Euangelicæ perfectionis, non ſecus ac nunc Religioſi vtuntur particu-

Digitized by Google

lari habitu ſuæ Religionis, qui iſti Pallio ſucceſſiſſe videtur Baronio, Baron. anno 57. *apud quem videri poteſt talis Pallij deſcriptio.*

Sanè huius Chriſtiani Pallij, aliquando Tertullianus, cum poſt nomen Chriſtianæ militiæ datum, illud induiſſet, apud Carthaginenſes, accerrimus deſenſor, & eximius laudator extitit. Nam quia Gentilibus deſpectui erat; cum quidam quaſi eum lenitatis & ſocordiæ criminans ei dixiſſet, Ita à toga ad Pallium, *inde occaſionem accepit habendi in ampliſſimo Carthaginenſium conceſſu illam celeberrimam ſuam* De Pallio *orationem Apologeticam, in qua quot ſunt verba, tot ſunt ferè eruditionis reconditiſſimæ myſteria, quamque tandem concludit, dicterium altero hoc in conuiciatorem argutè retorquens.* Quid ſi & à Diademate & à Sceptro? *ſub intellige ad Pallium Chriſtianum,*

quod doctè docuit regnis & imperiis eſſe præferendum.

Quî autem euenit vt ornamentum illud ſacrum, ad cuius commentarium nos accingimus Pallium diceretur? Hîc nodum eſſe Gordianum multi autumant, qui multum eorum animos torſit. Ego vero ipſos nodum in ſcirpo quærere affirmarem, niſi magnus Baronius, huius ſectæ albo vltro ſe adſcripſiſſet, cum ſe de hac re nihil compertum certumque habere profeſſus eſt, coniiciens tamen id eueniſſe, ex eo quod dum ſummus Pontifex ſacra perageret, illud alteri ornamento eius, Sacerdotibus etiam communi, quod nunc Planetam, ſeu caſulam dicimus, quodque olim Pallij communis formam referebat, adhæreret.

Baron. anno 336.

At vero ſi tanti viri menti, mihi aliquid addere licitum fuerit, nodum ni fallor facilius ſoluam. Pallium commune, vt diximus, erat indumen-

Digitized by Google

tum exterius, quod ſupra omnia alia geſtabatur, & ornamentum hoc, de quo diſſerimus, ſuper omnia alia imponebatur. Quid mirum igitur ſi hac de cauſa Pallium appellatum eſt: Sed inquiunt, multo breuius, & ſtrictius eſt. Quid inde? Metaphorica appellatio ſupponitne, omnimodam ſimilitudinem? Certe faſcias ad quemuis vſum exterius pendentes, olim dictas fuiſſe Pallia ex Ioanne Diacono in vita ſancti Gregorij mihi colligi poſſe videtur dum ait: Quod autem reliquiarum Phylacteria *id, eſt crux pictoralis, vt probat Baronius,* tenui argento fabricata, vilique Pallio de collo ſuſpenſa fuiſſe videntur; habitus eius mediocritas demonſtratur. *Præterea, vt poſthac probabimus, fuit olim multo longioris & forte latioris etiam formæ ea qua nunc cernitur, ita vt ſtolam ſacerdotalem imitaretur. Sed & re ipſa*

Ioan. Diac. in vit. S. Greg. lib. 4. c. 80.

eſt ſpecies ſtolæ, & apud diuerſos auctores appellatur ſtola Archiepiſcopatus, vt obſeruat Ioſephus Vicecomes. At cum certum ſit nomen huiuſce ſtolæ eſſe tranſlatum à ſtola, quæ erat veſtis oblonga præcipuè mulieribus inſeruiens, quidni etiamnomen communis Pallij ad ſacrum Pallium transferri potuerit?

Ioſe h. Vi- s lib. 4. iſſa apparatu cap. 3.

Maiori certè admiratione moueor, quod cum ſit omnium ſacrorum indur mentorum potiſſimum, vt, vel ex hoc, præter alia, quæ dicemus, colligi poteſt, quod ſummus Pontifex in celeberrimis functionibus eo tanquam auguſtiſſima torque, ſummæ poteſtatis indice, vtatur; cumque mira & multa de eius myſtica ſignificatione dici potuerint, de qua frequns eſt mentio, tum in iure Canonico, tum in Pontificum Apoſtolicis litteris: nullus tamen quem reperire potuerim de eo ex profeſſo, & accurate ſcripſerit. Nam

Digitized by Google

etſi iuris canonici Commentatores, occaſione tituli, de authoritate & vſu Pallij, quamplurimi Theologi morales & varij de diuinis officiis, & ritibus ſcriptores de eo agant; hoc tamen egerunt docte non nego, at non proprie, ex profeſſo, exacte, & ſeparatim, neque, vt ita dicam, hiſtorice; ſed ſtilo ita ad ritus, aut ad ius & forum accomodato, & ob frequentiſſimas in ipſa contextus ſerie citationes, notis paragraphiſticis, aut numeratibus adeo intercepto, & implicato, vt laborioſa lectione vix aliquid, quod ad hiſtoriam aut delectationem aliquam quiddam conferat reperiatur.

Atque hæc cauſa conſilij mei, vt de diſponendis conuenienti ordine variis obſeruationibus de Pallio hoc ſacro, olim à me non tam ex illis auctoribus quam ex ipſo fonte Decretalium Pontificum, Annalibus Baronij, aut aliis hiſtoricis & antiquis ſcriptoribus Ro-

Digitized by Google

mæ excerptis, & promiſcue in aduerſaria tranſlatis, cogitarem. Quod ſi quæ ſcripſi parua ſint, reſpectu tanti ſcriptionis argumenti, ſaltem aliis plura ſcribendi fortaſſe anſam præbebunt. Quisquis vero id egerit, ipſum ſcire velim, eique ſpondeo, me nihil vnquam vel minimum ampliori ſuo Pallio detracturum. Ego etenim alienæ laudi, & gloriæ, maiori labore, eruditiori conatu, ſucceſuque fœliciori comparatæ, cæca & propriæ tenuitatis inſcia ambitione nunquam inuidebo.

ELENCHVS CAPITVM.

PRæfatio de indumentis ſacris. 13
Caput I. *Deſcriptio & origo Pallij ſacri.* 33
Cap. II. *Materia.* 43
Cap. III. *Forma.* 50
Cap. IV. *Benedictio.* 62
Cap. V. *Significatio hiſtorica.* 67
Cap. VI. *Significatio myſtica.* 71
Cap. VII. *Cuius ſit Pallij ius conferre.* 90
Cap. VIII. *Quibus detur.* 98
Cap. IX. *Collatio Pallij non petiti.* 106
Cap. X. *Debitum petendi.* 116
Cap. XI. *Defectus Pallij, & Apologetica pro Canonicis de petitione Pallij ſanctionibus, diſſertatiuncula.* 122
Cap. XII. *Petitio, & receptio Pallij in curia Romana.* 131
Cap. XIII. *Miſſio Pallij cũ litteris Apoſtolicis.* 138
Cap. XIV. *Traditio Pallij extra curiam Romanam.* 147
Cap. XV. *De vſu Pallij.* 151
Cap. XVI. *De authoritate Pallij.* 166
Cap. XVII. *Differentia Pallij Græcorum à noſtro Ritus & forma benedictionis Palliorum ex libro antiquo Baſilicæ Vaticanæ.* 176

Digitized by Google

APPROBATIO.

VIDI ego Doctor Theologus Facultatis Pariſienſis, legi, probaui, *De Archiepiſcopali Pallio*, librum ſingularem ſcriptum, *à R. P.* NICOLAO DE BRALION, *è Congregatione Oratorij Presbytero*. Pariſiis anno R. S. H. 1048. 17. Kal. Nouemb.

I. COQVERET.

APPROBATIO.

VIDI ego Doctor Sorbonicus, legi, probaui, *De Archiepiſcopali Pallio*, librum ſingularem ſcriptum, *à R. P.* NICOLAO DE BRALION, *è Congregatione Oratorij Presbytero*. Pariſiis anno R. S. H. 1648. 17. Kal. Nouemb.

I. BANNERET.

Digitized by Google

LICENTIA.

NOs Franciſcus Bourgoing Congregationis Oratorij Domini noſtri Ieſu Chriſti Preſbyter, & Superior generalis iuxta Priuilegium Regis diplomate nobis conceſſum 14. Iulij 1642. quo prohibetur impreſſoribus Librariis, & quibuſcunque aliis libros ab iis qui ſunt ex eadem Congregatione compoſitos, imprimere, imprimi curare aut vendendos exponere, abſque noſtra licentia ſcripta, cuius licentiæ præter licentiam Regis & Approbationem Doctorum mentio fiat in dictis libris, permittimus Viduæ Ioannis Camuſat, & Petro le Petit, Librariis Parienſibus, imprimere & vendere librum, cuius titulus eſt *Pallium Archiepiſcopale*, à NICOLAO DE BRALION *noſtræ Congregationis Presbytero compoſitum*. Die 17. Octobris 1648.

F. BOVRGOING.

Digitized by Google

Extrait du Priuilege du Roy.

PAR grace & Priuilege du Roy, donné à Paris le 21. jour d'Avril 1648. Signé LE COQ. Il eſt permis à *Nicolas de Bralion, Preſtre de la Congregation de l'Oratoire*, de faire imprimer, vendre & debiter par tel Imprimeur ou Libraire qu'il deſirera, le liure intitulé *Pallium Archiepiſcopale:* Et par les meſmes Lettres deffenſes ſont faites à tous Imprimeurs, Libraires & autres, d'imprimer, faire imprimer vendre ny debiter ledit liure en quelque ſorte que ce ſoit, ſans le conſentement dudit Expoſant, & ce durant le temps & eſpace de cinq ans entiers & accomplis, à peine de mille liures d'amende & de confiſcation des exemplaires; comme il eſt plus au long porté par ledit Priuilege.

Acheué d'imprimer pour la premiere fois le 20. jour d'Octobre 1648.

Digitized by Google

DE PALLIO ARCHIEPISCOPALI LIBER SINGVLARIS.

CAPVT PRIMVM.

Pallij deſcriptio, origo.

SACRVM Archiepiſcopale Pallium, cuius myſticam amplitudinem explicare, & admirabilem, ſuper alia quæcumque ſint indumenta ſacra, præſtantiam palàm facere, aggredimur, ſic breuiter, (nam nobis adhuc complicatum eſt) hoc loco, vt omnibus in primis quid ſit innoteſcat deſcribere poſſumus.

Digitized by Google

Deſcriptio Pallij.

Pallium Archiepiſcopale eſt indumentum ſacrum, ex trium digitorum in latitudine faſciis, albæ lanæ, in formam circuli, torquem referentis compoſitum; quarum præcipua circulum ipſum perficit; aliæ duæ minores, hinc, inde pendent, vna antè pectus, altera à tergo ad longitudinem tantum duarum aut trium circiter palmarum; quo à collo pendente (vt videtur in ſchemate, ſancti Caroli, quod hîc excudi curauimus) vtuntur Archiepiſcopi ſupra omnia alia indumenta ſacra, ſolemnioribus quibuſdam diebus, quodque eſt plenitudinis eorum poteſtatis inſigne.

Atqui hanc deſcriptionem damus iuxta formam Pallij hodiernam; nam antiquitus alterius fuiſſe poſtea demonſtrabimus.

Quod autem ad eius originem pertinet, eſſe antiquiſſimam (præter ius Canonicum & Pontificum

Digitized by Google

Decretales) varia Patrum ſcripta, quæ ſparſim referemus,& antiquitatis monumenta conſtanter teſtantur. At vero de primo, & præciſo tempore,& vera ratione inſtitutionis; etiam poſt diligenter lectos in fonte antiquiores Authores, qui de eo aliquid attigerunt, fateor ingenuè planè apud me non cōſtare. Ii enim, præter quam quod nulla certa authoritate, doctrinam ſuam probant; mihi videntur aut obſcurius, aut breuiter nimis ſcripſiſſe, vt de his perfecta habeatur notitia. Itaque propriis eorum verbis referam quidquid nobis in hac ſententia reliquerunt. Hoc enim pacto fortè fortuito eueniet, vt occulatiores lectores, eorum ſenſum melius percipiant.

Proferam in primis teſtimonium veteris authoris libri ſacrorum

Digitized by Google

S. R. E. rituum, quem olim legi Romæ in Bibliotheca Auguſtiniana Angeli Roccæ Camertis ordinis ſancti Auguſtini & Apoſtolici ſacrarij Præfecti, poſtea vero Epiſcopi Tagaſtenſis, viri quidem non tantum litteratiſſimi, vt eius ſcripta probant, ſed & de omnibus litteratis optimè meriti: hanc enim bibliothecam in inſigni ſancti Auguſtini Conuentu, à Cardinali de Touteuille Rothomagenſi Archiepiſcopo extructo copioſiſſimam fundauit & vtilitati publicæ addixit: Sed prius dicam, me ſatis non poſſe mirari hunc veterem Authorem quem dixi, à Duranto, Azorio, & aliis omnibus, quos legi tacito nomine, tanquam anonymam citari: Immo anonymum illum quoſdam dicere; cum in editione Veneta ſui operis anni milleſimi, quin-

gentesimi octuagesimi ſecundi, apud Iunctas, quam in dicta Bibliotheca reperi, dictus ſit. Christophorus Marcellus Ceremoniarum Apoſtolicarum Magiſter, & Archiepiſcopus Corcirenſis Electus, illum autem functum fuiſſe hoc officio Magiſtri ceremoniarum ſub Paulo ſecundo, & Sixto quarto, circa annum milleſimum quadringenteſimum, ſeptuageſimum, argumento eſt quod dicat author, ſe interfuiſſe ſolemni occurſui Fœderico tertio Imperatori Romæ facto anno milleſimo, quadringenteſimo, ſexageſimo octauo. Nec dici poſſe videtur, hunc alium eſſe ab illo quem anonymum faciunt, cum ex titulo operis & doctrina excerpta contrarium appareat, teſtimonium autem eius de antiquitate Pallij tale eſt:

Marcellus lib. I. Sect. 8. de Pallio.

Vſus Pallij antiquiſsimus eſt, ita enim legitur ſcriptum à Maximo Epiſcopo, Homilia de veſte Sacerdotali: In lege gratiæ antiquum eſt illud noſtrum Ephod, id eſt Pallium quod noſtri Patriarchæ arbitrantur, à Lino, poſt Petrum, ſecundo Romano Pontifice inſtitutum, & in ſingulare poteſtatis priuilegium noſtris Deo plenis Præſulibus datum. Addit poſtea Marcellus: Et Euſebius Cæſarienſis, ſermone de Epiphania ſic habet: Nihil antiquius veſte illa Sacerdotali Præſulis noſtri, quæ illi veſti veteris teſtamentis ſucceſsit, byſſo auroque contextæ, qua in ſignum pleniſſimæ poteſtatis primus Linus amictus eſt, cui Typum dedit, & nomen, vt à veteribus accepimus ſcriptoribus, quam appellauit, & Pallium.

Verum, licet Marcellus has authoritates apud aliquem authorẽ legere potuerit, qui eas ſancto ma-

ximo Epiſcopo, & Euſebio Cæſarienſi tribuat; cum tamen neque illa homilia de veſte ſacerdotali, neque ſermo ille de Epiphania inter eorum opera reperiantur, teſtimonium leuiſſimum eſt, nec maioris ponderis eſt illud quod ſumi poſſet ex quibuſdam iconibus quibus ſanctus Linus repreſentatur eum Pallio, niſi certum ſit qua fide, & qua authoritate id factum eſt. Nam id fieri potuit occaſione & fide iſtius aut alterius ſimilis doctrinæ.

En aliud Ruperti Abbatis Tuitienſis qui vixit circa annum milleſimum centeſimum decimum nonum, quo ſimul & antiquitatem originis Pallij, & inſtitutionis eius rationem voluit oſtendere. *Rupert. lib. 1. de diuinis offic. cap. 27.*

Poſtquam inquit, duodecim Apoſtoli per vniuerſum mundum diſperſi ſingulis ciuitatibus præſiderent; tam

ipſi quàm ſucceſſores eorum, miſere per contiguas ſuis ſedibus Prouincias prædicatores, quos & Epiſcopos ordinauerunt, vt vbi recepti fuiſſent, omnia Chriſtianitatis Sacramenta, velut ipſi Apoſtoli peragerent, vt per vrbes comprouinciales Epiſcopos ordinarent, & aliorum quidem Apoſtolorum ſucceſſores Patriarchæ ſunt dicti; Petri autem ſucceſſor pro excellentia principis Apoſtolorum, Apoſtolicus nominatur. Qui autem ab eis per Prouincias miſſi ſunt, tam ipſi, quam ſucceſſores eorum, Archiepiſcopi vocantur; & qui ab his per vrbes comprouinciales ordinati ſunt, & qui illis ſuccedunt vſque hodie ſimpliciter Epiſcopi nominantur. Initium ergo fidei habentes ab Apoſtolica ſede, regulam hanc Metropolitanæ obſeruant Eccleſiæ, vt neminem habeant Pontificem, niſi ab eadem ſede miſſum à qua primus ille prædicator

Digitized by Google

fidei miſſus eſt; illa autem mißio, ſupradicti Pallij largitio eſt.

Ita hic author in opere, alioquin, teſte Belarmino, non indocto originem & inſtitutionem ſacri Pallij ad Apoſtolos refert, verbis tamen admodum obſcuris, præterquàm quod eius ſententia nulla antiquioris auctoris, authoritate fulcitur. Immo huic doctrinæ, quæ Pallium primo inuentum fuiſſe, vt eſſet miſſionis Apoſtolicæ teſſera prædicat, aduerſatur ſententiæ Baronij, exiſtimantis primum fuiſſe ſolius ſummi Pontificis inſigne: *Sicut enim olim*, inquit, *in ſacerdotio Hebræorum erat ſummi Pontificis ſuperhumerale inſigne, quod nefas eſſet aliquem alium ſacerdotum vel Pontificum eo indui, ita in Chriſtianæ Religionis ſacerdotio, Pallium illud, ſummi tantum Romani Pontificis ceſſit vſui, ab eo* Baronius anno 33.

tamen ſæpe Metropolitanis magna ex cauſa communicatum.

Non majori certè fultus authoritate, quàm ſua ipſa doctrina, addit idem author Maternum Treuirenſi Eccleſiæ à beato Petro Apoſtolo miſſum, hæreditatem Pallij ſuis ſucceſſoribus dereliquiſſe. Honorius verò Auguſtodunenſis, qui floruit circa annum ducenteſimum vigeſimum ſupra milleſimum, in gemma animæ videtur doctrinam Ruperti de origine Pallij proponere ſed verbis certè non clarioribus.

Honorius in homini l. 1. c. 222.

Quamuis ergo certum ſit ex iis quæ initio huius capitis diximus, originem Pallij ſacri eſſe antiquiſſimam; ad quem tamen Pontificem, eius inſtitutio referri debeat, mea quidem ſententia neſcimus. At verò, ſaltem fuiſſe inſtitutum ante ſancti Marci Papæ tempora,

Digitized by Google

qui anno trigeſimo ſexto ſupra trecenteſimum ſedebat, certò ſcimus; cum ille, vt eſt in libro de ſummis Pontificibus; quod & poſtea diſtinctius declarabimus capite octauo, illius vſum in conſecratione ſummi Pontificis Epiſcopo Oſtienſi præſcripſerit.

CAPVT SECVNDVM.

De Materia ſacri Pallij.

SAcra Metropolitarum Pallia conficiuntur ex lana agnorum prius in miſſa ſolemni, quæ in Eccleſia ſanctæ Agnetis extra muros vrbis, die eius cultui dicato oblatorum. Ita habet vetus ille author ſacrorum S. R. E. rituum ſcilicet Marcellus ſupra laudatus.

Sed vt de his clarior notitia ha-

Digitized by Google

beatur, ſciendum eſt, curam conficiendorum Palliorum ad Subdiaconos Apoſtolicos pertinere. Sunt autem Subdiaconi Apoſtolici officiales, ſeu Miniſtri Eccleſiaſtici Papæ, & quidem quinque numero, qui corpus vnum ſiue collegium conſtituunt. Ad hos etiam pertinet Epiſtolam cum ſolemniter ſummus Pontifex miſſam celebrat per vices cantare & crucem eius in proceſſionibus, aut cum iter facit antè eum deferre, & alia munia ſubire. Hi igitur procurant vt die feſto ſanctæ Agnetis, qui eſt vigeſimus primus Ianuarij habeantur duo candiſſimi agni, qui ponuntur ſupra equum hinc inde in duobus ciſtellis, in eius Eccleſiam portandi. Conſuetudo autem eſt, vt conductor primum cum his tranſeat per plateam ſancti Petri antè Palatium Vatica-
Digitized by Google

num Papæ qui è feneſtra, manu eos benedicit. Dehinc vero per mediam vrbem eos defert ad præfatam Eccleſiam ſanctæ Agnetis, in qua eius ſanctum corpus religiosè aſſeruatur, & colitur, vbi in miſſa ſolemni, cum peruentum eſt ad *Agnus Dei* offeruntur à Religioſis huius Eccleſiæ, qui nunc ſunt Canonici Regulares congregationes ſancti ſaluatoris; deinde traduntur duobus Canonicis Baſilicæ Lateranenſis ſancti Ioannis, quæ eſt Cathedralis Papæ, à quibus eorum cura committitur dictis Subdiaconis Apoſtolicis, qui primùm eos in paſcuis quibuſdam particularibus ad tempus ſeruant, deinde eorum lanam à certis monialibus in filum duci curant, ex quo filo adhibito tamen alio, ex ordinaria lana, cum iſta non ſufficiat, vel ipſi, vel illæ moniales

faſciolas, eas lanas intertexendo conficiunt, & ex iis Pallia, poſtea benedicenda apud ſanctum Petrum, vt poſtea dicemus.

Cur autem in Eccleſia ſanctæ Agnetis iſti agni offeruntur, nullus author quem legerim ſcripſit, fortè quia ratio per ſe patet. Hæc innocentiſſima & pura puellula, & fortiſſima ſimul Chriſti athleta, fuit re vera, nimirum moribus, & nomine agnis ſimillima, & charis parentibus octo diebus poſt vitam ſponſo virginum Ieſu Chriſto martyrio conſecratam, apparuit, choro virginum ſtipata, habenſque penes ſe candidiſſimum agnũ, innocentiæ ſuæ ſymbolum. Hæc igitur conuenientiſſima cauſa eſt, ni fallor, cur iſti agni, ex quorum lana conficiuntur ſacra Pallia, Deo & ipſi ſanctæ Agneti in Eccleſia eius nomini dicata offeruntur.

Digitized by Google

Cæterum ſacri Pallij Materiam ſemper eandem fuiſſe, licet eius mutata ſit forma, authoritate veterum authorum probari poteſt. Nam præter Innocentium tertium qui vixit circa annum milleſimum tringenteſimum, quique Pallium deſcribens, ait illud eſſe de candida lana ouis contextum, idipſum confirmatur authoritate Iſidori Peluſiotæ multo antiquioris, nam floruit circa annum quadringenteſimumquadrageſimum, ait enim ad Herminum ſcribens: *Id autem amiculum quod ſacerdos (Epiſcopum intellige) humeris geſtat, atque ex lana, non ex lino contextum eſt, ouis illius quam Dominus aberrantem quæſiuit, iuuentamque humeris ſuis ſuſtulit pellem deſignat, Epiſcopus enim, &c.* Verùm ſcrupulum hîc mouet, quod Ioannes Diaconus, in vita ſancti Gregorij Ma-

Innocent. tertius lib. 1. Myſt. miſſ. c. 63.

Iſid. Paluſ. lib. 1. Epiſt. 136.

Ioan. Diac. l. 4. c. 80.

Digitized by Google

gni, de humili ſimplicitate ornamentorum eius loquens, ait illud ex byſſo candente fuiſſe contextum. At reſponderi poteſt hoc fuiſſe ſingulare ſanctiſſimo, illi Pontifici, qui in conſuetudine & vſu ordinario, ſumma qua pollebat authoritate potuit humilitatis cauſa ſecum diſpenſare. Præterea ſi licet mihi in verba Ioannis Diaconi commentari alio adhuc modo difficultatem tollam: pace enim eius dicam, quod cum lana in filum ducta, & vt eſt in ſacro Pallio, contexta parum à lino, aut byſſo differat: facile illum fuiſſe allucinatum.

Hoc autem duobus rationibus confirmo. Prima erit quod lana non pretioſior eſt byſſo, quæ eſt ſpecies lini groſſior, vt difficile credendum ſit, ſanctum Gregorium, quamuis miræ humilitatis & modeſtiæ

modeſtiæ Pontificem, contra conſuetudinem, atque etiam myſticam, de qua poſtea acturi ſumus, ſignificationem, illam in Pallio mutaſſe. Alteram deſumo ex ipſis Ioannis verbis, ait enim, ipſius Pallium byſſo candente fuiſſe contextum. At certè byſſus ad flauum colorem vergit, candida vero lana eſt, quæ tamen vſu, & temporis lapſu, in filum ducta ægrè à byſſo diſtinguitur. Cum ergo videre potuerit Pallium ſancti Gregorij, qui ſuo tempore vt ipſemet teſtatur, ſcilicet, ducentis & quinquaginta annis poſt obitum ſanctiſſimi huius Pontificis, Romæ cernebatur, facile exiſtimare potuit, ex byſſo eſſe confectum, licet ex lana eſſet. Sed de materia ſacri Pallij iam ſatis, nunc ad ipſius formam veniamus.

Digitized by Google

CAPVT TERTIVM.

De forma ſacri Pallij.

FOrmam ſacri Pallij iam leuiter adumbrauimus, cum præcedenti capite eius deſcriptionem dedimus. Hîc verò diſtinctius de ea diſſerendum. A nullo autem veterum ſcriptorum certior eius delineatio haberi poteſt quam ab Innocentio tertio, qui ſummo ſummi Pontificis iure non ſolum illo vtebatur, ſed etiam aliis ius illud defferendi conferebat. En igitur Pallij ſacri delineatio nobis ab ipſo data.

Eſt Pallium de candida lana contextum, habens circulum humeros conſtringentem, & duas lineas ab vtraque parte; (videlicet antè, & retrò) pendentes quatuor autem cru-

ces purpureas, antè, & retrò, à dextris, & à ſiniſtris; ſed à ſiniſtris eſt duplex, & ſimplex à dextris.

Atque ex his Innocentij verbis habemus fidelem, & exactam formæ ſacri Pallij delineationem, etiam vt nunc eſt, hoc excepto quod habet nunc ſex cruces ex ſerico inſertas, (additis duabus paucis vt opinor ab hinc annis) quatuor ſcilicet in circulo, nempe antè, & retrò, à dextris, & à ſiniſtris: & præterea vnam in medio vtriuſque lineæ; & quod cruces intextas quas dicit eſſe purpureas, recentiores quidam Canoniſtæ ſcribant eſſe nigras, & re vera nigræ apparent, non ſolum in Palliis quibus nunc vtuntur Archiepiſcopi, ſed in illos antiquiſſimo quo vtebatur Stephanus tertius Papa, qui ſedebat anno ſeptingenteſimo, quinquageſimo, quodque ipſe reliquit

Ælius Zenatrius de Reapub. Chriſt. tit. de Patriarch.

Digitized by Google

apud D. Dionyſij, Baſilicam Mauſoleis Regum Chriſtianiſſimorum celebrem vbi adhuc oſtenditur. Nullas vero fuiſſe aliquando ſacro Pallio intextas cruces colligit R. P. Hugo Mena[illegible]us Benedictinus Congregation[illegible] ſancti Mauri, ex antiquis imaginibus ſancti Gregorij, & ſancti Remigij, quas doctiſſimis ſuis notis, & obſeruationibus in D. Gregorij librum Sacramentorum inſeruit, in quibus ſunt Pallia ſine crucibus. Verum errore Pictorum deeſſe conjicio ex alia Icone ſancti Gregorij, in octauo tomo Annalium Baronij excuſſa, & majoris certè authoritatis, vt ex iis quæ idem Baronius ſcribit patet, quam illæ. Nam in ipſa, Pallium repreſentatur cum crucibus. Præterea Pallia primorum Pontificum etiam eorum, qui fuerunt ante ſanctum Silueſtrum

repreſentantur in opere Diaconij, cum crucibus intertextis. Certè Rabanus Maurus, qui floruit ante Innocentium tertium, quadringentis circiter annis, ſcilicet circa annum octingenteſimum, cruces ineſſe ſacro Pallio teſtatus eſt, cum ita de eo ſcripſit: *quod genus indumenti, crucis ſignaculum purpureo colore exprimit.*

Rabanus de Inſtit. Chr. l. 1. c. 23.

Formam vero Pallij fuiſſe etiam cirea id tempus circularem, vt nunc eſt, colligi poteſt ex Albino ſeu Alcuino, Paulo antiquiore Authore, qui ita de eo ſcripſit: *Pallium ſignificat torquem, quem ſolebant legitimè certantes accipere.* Certè Pallium Stephani tertij de quo Paulo ante, eſt eiuſdem formæ hodiernæ Pallij, duæ tamen lineæ, antè & retrò, ſunt multo longiores iis quæ nunc in eo ſunt. Rupertus verò Tuitienſis, qui fuit cir-

Alcuinus de Diu. Offic.

Rupert. l. 1. de Diu. Offic. c. 27.

Digitized by Google

ca annum centeſimum ſupra milleſimum, eodem modo de Pallij noſtri forma videtur loqui; ait enim de eo: *A collo circa pectus dependens, ſitu ſuo patenter deſignat humilitatis vel patientiæ torquem.*

Reducendum enim in memoriam ex deſcriptione Pallij quam dedimus capite primo, vt melius intelligatur hæc, quàm præſenti, attulimus, illud confici ex laneis faſciis trium circiter digitorum latitudinis, quæ ita ſunt aptatæ, vt formam torquis referant. Eſt enim Pallium circulus qui collo apponitur, & antè pectus, & à tergo habet faſcias, quas lineas dicunt, ad trium palmarum longitudinem, plus minus defluentes, in quarum extremitatibus vt decentius, quaſi immobiles pendeant, ſunt paruæ plombeæ laminæ, ſerico nigro coopertæ, præterquam quod, cum

humeris aptatur Pallium, firmatur tribus aciculis aureis, quarum ſummitas quibuſdam gemmis decoratur, idque ad myſterium, vt dicemus capite de ſignificatione Pallij: Et earum pulchrior cruci Pallij quæ eſt antè pectus inſigitur; altera cruci humeri ſiniſtri: tertia poſteriori cruci.

Quod autem pars eiuſdem Circuli ſiniſtra ſit duplex; id oritur ex antiqua, & diuerſa forma Pallij, diuerſoque modo illud humeris aptandi, & portandi. Nam vt ſupra aſſignauimus, Pallium olim non differebat quantum ad formam, à ſtola ſacra communi, & ordinaria, niſi fortè quod ſtrictior eſſet, quamuis latius quam nunc ſit, videatur fuiſſe, ex quibuſdam picturis. Nec mirum quidem, ſi ad eo fuit ſimile ſtolæ; nam eſt plenitudinis poteſtatis Pontificiæ inſi-

gne; ſtola autem, in permultis Eccleſiaſticis functionibus iuriſdictionem, & authoritatem deſſerentis denotat. Sanè quidem ſummus Pontifex nunquam in publicum prodit niſi ſtola ſupra Mozzetam & Rochettum indutus, ſummæ authoritatis indice. Cum autem Pallium eſſet huiuſce formæ, deferebatur hoc modo: Pars dextera ponebatur, & reflectabatur ſuper humerum dexterum, ita vt extremitas eius penderet à tergo, pars vero ſiniſtra pendebat vt erat aptata è ſiniſtro humero.

Fidem faciunt antiqui illius vſus Pallij veteres effigies, cuiuſmodi ſunt illæ tres, de quibus ſupra locuti ſumus, & permultæ aliæ quæ Romæ præſertim conſpiciuntur, ex quibus probari poteſt talem fuiſſe primam Pallij ſacri formam: Quantum autem ad al-

Digitized by Google

teram, quæ in quibuſdam Pontificum iconibus, quæ in opere Ciaconiano cernitur, quæ ſcapulari monaſtico ſimilis eſt; inuentum à quibuſdam cælatoribus, aut Pictoribus puto, neque iſtæ Icones tantæ ſunt authoritatis, vt nos cogant illam tanquam legitimam admittere; ſed nec videatur omnes eſſe veræ, & propriæ imagines Pontificum pro quibus repreſentandis ibi ponuntur, cum non omnium nummiſmata, aut antiquæ depictæ tabulæ reperiri potuerint, è quibus deſumerentur; immò videtur quod ibi aliquæ ſint communes pluribus Pontificibus. *Apud Durand.*

Quod autem aliqui ſcripſerunt ſolos ſummos Pontifices, qui ſanctum Silueſtrum præceſſerunt repreſentari cùm Pallio, eo modo quem diximus circa collum refle-

Digitized by Google

ſco, ad ſignificandum quod non habuerunt iuriſdictionem liberam, purè commentitium eſt, atque etiam falſum: nam re vera iſti, & alij poſt ſanctum Silueſtrum, eo ita aptato vſi ſunt ad ſignificationem myſticam vt dicemus, & plures eiuſdem ſancti ſucceſſores repreſentantur hoc modo illud ferentes, inter quos eſt ſanctus Gregorius in effigie, de qua locuti ſumus.

Atque hæc Priſca forma Pallij etiam nunc aliquo modo perſeuerare dici poſſe videtur, nam mutatio quæ facta eſt, parum mutauit figuram, quam efformabat; ſed in hoc actum eſt, quod in aliis ſacris veſtibus ac præſertim in planeta ſeu caſula, cum aliquid detractum aut aliquantulum mutatum eſt ad commodiorem vſum. Nam quia longitudo Pallij non ità facilè

Digitized by Google

complicabatur, & aptabatur atque firmabatur ſpinula; ex illo formatus eſt circulus qui faciliùs collo apponi poſſet, quique duas illas, quas diximus, antè & retrò haberet faſcias pendulas, partes inferiores antè, & retrò pendentes primi illi Pallij, circa collum circumuoluti repreſentantes; & quia ex illa circumuolutione per humerum ſiniſtrum, accidebat vt duplex eſſet ſuper eundem humerum, appoſita, ſcilicet parte dextera ſupra ſiniſtram, ad hoc etiam repræſentandum facta eſt pars circuli, quæ ſiniſtro humeri adhærere debet duplex, & firmatur vt prius acicula, alioquin non neceſſaria, cum nunc non ſit neceſſe eum ab hac parte firmare, ſicut nec firmatur à dextera. Atque videtur hæc tota eſſe differentia & ſimul ratio differentiæ hodierni

Digitized by Google

Pallij, ab antiquo; nam quoad materiam ex qua conficitur, eundem vt diximus, videtur ſemper fuiſſe, quod velim intelligi in Eccleſia Latina, nam Græci vt poſtea dicetur materiam mutarunt.

Cæterum non videtur prætermittendum hîc quod aliqui obſeruant, nempe Pallium Pontificum noſtrorum ſucceſſiſſe Superhumerali, ſimulque Rationali in eo appoſito, ſummi ſacerdotis antiquæ legis, & eorum quodammodo locum tenere. Alij tamen rationali nihil ſucceſſiſte autumant. Alij dixerunt Pallium eſſe pro aurea illa lamina, quam idem antiquus Pontifex, mitræ, ſeu thiaræ adhærentem in fronte gerebat. At parum probabiliter, ſed de his conſulat qui velit Durandum, nec non Durantum aut illos ſcriptores de diuinis Officiis, qui tomo

Digitized by Google

decimo Bibliothecæ SS. Patrum continentur, in iis enim non immoramur.

Addo tamen Pallium aliquando Phrygium fuiſſe dictum, vt Author eſt Baronius, exiſtimans Phrygium, quod Cœleſtinus Papa dicitur miſiſſe S. Cyrillo Epiſcopo Alexandrino vires ſuas ei delegans, Pallium fuiſſe. Verum eius abbreuiator Spondanus doctis annotationibus, oſtendere conatus eſt, potius fuiſſe mitram, quæ Phrygium, vt probat ex veterum authorum ſcriptis dicta eſt. Eius ego ſententiæ vltrò ad ſtipulor, eo quod hoc nomen magis mitræ mihi conuenire videtur, quæ opere Phrygio, auroque intexto ornatur quam Pallio, quod valde ſimplex eſt, & quia in cæremoniali Epiſcoporum vna ex tribus mitris, quibus Epiſcopus vti poteſt, ſic

Baronius tom. 3.

Digitized by Google

elaborata, appellatur auri Phrygiata mitra. Attamen ob quatuor cruces Pallio intextas, quas etiam videtur Baronius aſſumere in rationem huius appellationis; aut fortè propter aliquod aliud ornamentum, ab aliquibus additum, Phrygium etiam dictum fuiſſe Pallium Archiepiſcopale omninò inficias ire nollem. Certum eſt denique quod dictum etiam fuit, vt obſeruat ex diuerſis Ioſephus Vicecomes, Stola Apoſtolatus, Stola Archiepiſcopatus, & Stola Pontificalis.

Ioſeph. Vicecomes lib. 4. de miſſa apparatu cap. 3.

CAPVT QVARTVM.

De Benedictione ſacri Pallij.

AVthores qui de ſacro Archiepiſcoporum Pallio ſcripſerunt, quos vidi nihil diſtinctè

Digitized by Google

& ſpecialiter de ritu benedictionis ipſius dicunt. Aliqui tantum obſeruant, quod Pallia dicuntur ſumi de corpore beati Petri, eo quod ad altare vbi eius corpus iacet, à Papa, vel eius authoritate ab alio benedicuntur & conſecrantur, ibique per aliquod tempus relinquuntur. Nos verò, quod hac de re Romæ obſeruare potuimus hîc addere opere pretium duximus.

Primum igitur certiſſimum eſt, Pallia non ſolum ſupra altare in quo venerandum corpus beati Patri jacet per aliquod tempus relinqui, ſed etiam prius in ipſo altari benedici ritu ſpeciali, & cum forma benedictionis propria: quam olim ego ipſe & vidi, & perlegi Romæ in antiquo libro Baſilicæ Vaticanæ ſancti Patri, cuiuſque formę & ritus fidele tranſumptum ſpeciali quidem & magnifacien-

Digitized by Google

dam gratia mihi tandem tranſmiſſum eſt, quo noſtrum hoc opuſculum tanquam nobiliſſima coronide clauſimus. At licet antiquitus Summi Pontifices Pallia per ſeipſos benedicere potuerint, tamen certiſſimum etiam eſt id amplius non eſſe in vſu; ſed hæc functio committitur alicui Epiſcopo, qui ordinarie, vt valdè conſentaneum videtur, eſt Vicarius Cardinalis Archipreſbyteri Baſilicæ Vaticanæ ſancti Petri.

Hoc vt melius intelligatur, ſciendum hanc Baſilicam, habere ſemper pro Archipreſbytero aliquem Cardinalem, & inſuper quandam iuriſdictionem Epiſcopalem. Nam licet non ſit Cathedralis Eccleſia Papæ, (eſt enim Baſilica ſancti Ioannis in Laterano, quæ tanta dignitate cæteris omnibus præfulget) ius tamen habet

Digitized by Google

habet conſecrationis Clericorum, nec non oleorum ſanctorum, & Sacramentum cõfirmationis conferendi hæc autem facit per Vicarium Cardinalis Archipreſbyteri, qui ordinarie eſt aliquis Epiſcopus in partibus.

Non poſſunt tamen pallia dici conſecrari niſi impropriè, & nomine conſecrationis latiſſime ſumpto; in eorum enim benedictione non adhibetur oleum ſanctum, (nihil enim de hoc legitur in Rubricis ritus benedictionis ipſorum) ſed tantum ea quæ adhibentur in benedictionibus candelarum, aut palmarum, ſcilicet aqua benedicta, & incenſum. Nec etiam fit hæc benedictio vnoquoque anno ſed rarius, prout neceſſitas mittendorum Palliorum exigit. Et fit non in altari majori ſancti Petri, quod cernitur in medio

ſuperioris partis Eccleſiæ, ſed in alio inferioris partis, quod eſt ſub iſto, & ideò ſepulturæ ſancti Petri viciniori.

Facta demum benedictione, relinquuntur, Pallia vna nocte ſupra altare ſepulturæ ſancti Petri; deinde reconduntur in capſula, ſeu arcula parua, quæ ponitur & aſſeruatur ſupra cathedram ſancti Petri, in qua primum Romæ ſedit, quæ quidem cum Romæ eram recluſa conſeruabatur in Capella maiori ſacriſtiæ; nunc verò eſt in Eccleſiæ capella, quam Vrbanus VIII. Summus, optimus, ac fœliciſſimæ recordationis Pontifex ei dedicauit, hoc nimirum addens, quaſi vltimum, & inſigne ornamentum aliis penè innumeris, & ad miraculũ vſque ſpectabilibus, quibus Baſilicam principum Apoſtolorum Vaticanam, illuſtriorem reddidit.

Digitized by Google

CAPVT QVINTVM.

De ſignificatione hiſtorica ſacri Pallij.

SIgnificationem ſacri Pallij diſtinguimus in hiſtoricam, & myſticam; & de illa quidem hoc diſtincto capitulo tractabimus, quia hæc, ſcilicet myſtica, ita ampliori rerum dicendarum abundat materia, vt vix vnico capite comprehendi poſſit. Significationem autem hiſtoricam eam intelligimus, quæ prior & euidentior eſt, ita vt faciliùs in eius cognitionem veniamus.

Pallium ergo ſacrum hiſtorica ſua ſignificatione patenter, & manifeſtè denotat ſpecialem quandam in Archiepiſcopo illud deferente authoritatem à Summo

Pontifice traditione illius, ipſi conceſſam, præter ordinariam Epiſcoporum; qua quidem authoritate Papa quaſdam ſuas vices ei delegat, & ideo Pallium ei confert plenitudinem quandam poteſtatis, ſcilicet Archiepiſcopalis. Atque hæc aſſertio colligitur ex ipſo iure Canonico, & eius interpretibus, nec non ex Pontificum litteris ad Metropolitas, cum Pallio miſſis, ac denique ex ipſo vſu Pallij, vt patebit ex authoritatibus in toto hoc opuſculo poſtea ſparſim allatis.

Sufficiat ergo nobis hîc ad ferre duas inſignes, & veluti expreſsè & conſultò datas, hac de re authorites ſanctiſſimi, & doctiſſimi Pontificis Innocentij tertij. Et quidem prima deſumpta ex opere quod ipſe ſcripſit de myſteriis miſſæ, vbi ſic ait: *Dicitur Pallium plenitudo*

Innocentius tertius de myſt. miſſa lib. 1. c. 59.

Pontificalis Officij, quoniam in ipſo, & cum ipſo confertur Pontificalis Officij plenitudo. Nam antequam Metropolitanus Pallio decoretur, non debet Clericos ordinare, Pontifices conſecrare, aut Eccleſias dedicare, nec Archiepiſcopus appellari.

Altera inſerta eſt Decretalibus Iuris Pontificij, ſed cum aliis eiuſdem Pontificis Conſtitutionibus Decretalibus collecta reperitur in fine ſuorum operum, vbi ſub hac forma refertur.

INNOCENT. PAPA TERTIVS C. PRESBYT. CARDINALI Apoſtolicæ ſedis Legato.

NIſi ſpecialis dilectio illa. Et infra: Sanè, ſi poſtulatio Trojanenſis Epiſcopi ad Panormitanam Eccleſiam, fuiſſet per nos etiam approbata; non tamen deberet ſe Archiepiſcopum appellari priuſquàm

à nobis Pallium ſuſcepiſſet, in quo Pontificalis Officij plenitudo, cum Archiepiſcopalis Officij plenitudine confertur.

Sed videas mirum iſtius optimi Pontificis, pro tuenda integerrimè Apoſtolicæ ſedis authoritate zelum, addit enim ibi.

Tu ergo, quod factum eſt, ſic ſtudeas palliare, vt id in confuſionem tuam, & ſedis Apoſtolicæ opprobrium non redundet.

Quoniam ſi oporteat, vt nos vel tu in hoc negotio confundamur, eligemus potius te confundi, quàm lædamus ſedis Apoſtolicæ dignitatem.

Digitized by Google

CAPVT SEXTVM.

De Myſtica ſignificatione ſacri Pallij.

MYſtica, nempe ſacratior, & ſecretior ſacri Pallij ſignificatio præcipuè ad mores pertinet, & verò tanta eſt, totque continet abſcondita myſteria, vt Pallium Innocentius tertius diuinis dicat grauidum Sacramentis & theſaurum ſapientiæ exiſtimari velit. Videtur autem tribus modis conſiderari poſſe, & quidem primò, pro vt Pallium per ſe totum & integrè conſideratum, aliquid, vel propter materiam ex qua conficitur, vel propter formam ſeu figuram quam habet, myſticè ſignificat. Altero, provt per partes ſuas, tertio provt per quædam adiacentia, quæ ſunt veluti ipſius ac-

Innocentius tertius de M. ſt. miſſa.

Digitized by Google

cidentia quædam,& parerga inhærentia. Igitur tribus hiſce modis eodem ordine eam declarabimus.

Quoad primam igitur ſignificationem myſticam, in primis obſeruo cum Baronio, quod quemadmodum antiquitus vt probatur ex Tertulliano, in ſacris Eccleſiæ calicibus inerat imago boni Paſtoris ouem perditam geſtantis, Paſtoralis indulgentiæ atque clementiæ typum præferentis; ſic etiam in ſacris veſtibus idem, quamuis aliis ſignis repreſentabatur exemplum, & præcipuè in ſacro, de quo agimus Pallio, expreſſius illud ipſum ſignificatum eſt. Sane habemus de hoc & clarum, & illuſtre teſtimonium ex loco illo antiquiſſimi æque ac doctiſſimi ſcriptoris Iſidori Peluſiotæ, quem ſupra, capite de materia Pallij attulimus. Sed hîc iterum adducen-

Baron. anno 20. Tertull. de pudicit. cap. 13.

do, additis tamen quibuſdam eiuſdem loci verbis, quæ ad rem, de qua hîc agimus faciunt. Scribit itaque ad Herminum in hæc verba.

Id autem amiculum, quod Sacerdos (id eſt Epiſcopus vt ex ſequentibus patet) humeris geſtat, atque ex lana non ex lino contextum eſt; ouis illius, quam Dominus aberrantem quæſiuit, inuentamque humeris ſuſtulit, pellem deſignat. Epiſcopus enim, qui Chriſti typum gerit ipſius munere fungitur, atque ipſo etiam habitu illud omnibus oſtendit, ſe boni illius, ac magni Paſtoris imitatorem eſſe qui gregis infirmitates ſibi ferendas propoſuit.

Obſeruandum ex hoc authore Græco, in Eccleſia Orientali omnes Epiſcopos vti Pallio, (vt diſtinctius capite particulari de hoc declaraturi ſumus.) Sed quàm bel-

Digitized by Google

lè quàm clarè his verbis demonſtrat noſtrum Pallium, ex lana ouis contextum, dum humeros Pontíficum conſtringit, ouem illam perditam Euangelicæ parabolæ myſticè ſignificare; ipſoſque nouæ legis Pontifices illud gerentes, verum ſummumque Paſtorem, qui illam recuperauit, & ad ouile humeris reduxit repræſentare, ſed & ſunt alia veterum ſcriptorum teſtimonia, quæ egregiam hanc doctrinam confirmant. Euſtathius qui res geſtas ab Eutichio Epiſcopo Conſtantinopolitano cuius fuit alumnus ſcripſit, de eius electione & conſecratione loquens, ſic ait: *Ouis errantis typum ſuper humeros tollit*, ſcilicet ſacrum Pallium. At vna ſit pro omnibus, tanquam omnium fortiſſima, & præſtantiſſima, de huiuſmodi ſignificatione, authoritas Clemen-

Baronius tom. 7. an. 553.

Baronius an. 1047.

tis ſecundi Papæ, in exhortatione pia plane, & Summo Pontifice digniſſima, qua Pallium ad Ioannem Salernitanum Epiſcopum, mittens, illum ad peragenda munera in ipſo ſignificata vehementer hortatur his verbis.

Archiepiſcopali Pallio, noſtra Apoſtolica manu dilectionem veſtram inſigniuimus. Et inferius, *In quo quia de vellere ouis eſt, intellige te ouium Paſtorem, & quia eo circuncingeris, & etiam circa humeros portas, agnoſcas, & vndique circunſpicias ne aliqua erret, & in morſus incidat luporum. Quod ſi aliquando, quod abſit, contigerit, eam habeas in humeros ad caulam reportare, & Priſtinæ ſocietati coadunare.*

At audiamus alterum Summum Pontificem, Innocentium ſcilicet tertium ex materia ſacri Pallij, & eius figura circulari, humeros *Innocentius tertius de Myſt. miſſæ.*

conſtringente, & etiam torquem referente conſideratis ſic docentem.

Pallium, quo majores vtuntur Epiſcopi, ſignificat diſciplinam, qua ſeipſos, & ſubditos Archiepiſcopi debent regere. Per hanc acquiritur torques aurea, (in Pallio ſcilicet repreſentata) quàm legitimè certantes accipiunt, de qua dicit Salomon in parabolis. Audi fili mi diſciplinam Patris tui, & ne demittas legem matris tuæ, vt addatur gratia capiti tuo, & torques collo tuo. Et Paulo inferius: *In lana notatur aſperitas; in candore benignitas deſignatur. Nam Eccleſiaſtica diſciplina contra rebelles & obſtinatos ſeueritatem exercet; ſed erga pœnitentes, & humiles exhibet pietatem.* Et paucis interiectis, addit. *Hoc nimirum & per arcam tabernaculi deſignatur, in qua cum tabulis virga continetur, & manna:*

quoniam in mente Rectoris cum ſcripturæ ſcientia, debet eſſe virga diſtrictionis, & manna dulcedinis, vt ſeueritas immoderatè non ſæuiat, & pietas pluſquam expedit non indulgeat.

Quantum vero ad ſecundam ſpeciem ſignificationis myſticæ ſacri Pallij, quam ſuppoſuimus conſiderari poſſe ex eius partibus, idem Author eam nobis propoſuit; cum prædictis verbis, immediate de eius circulo qui eſt potior pars adiecit.

Circulus Pallij per quem humeri conſtringuntur eſt timor Domini, per quem opera coërcentur, ne vel ad illicita diſluant, vel ad ſuperflua relaxentur.

Quemadmodum autem Pallium integrè ſumptum ſignificat diſciplinam, qua acquiritur torques aurea, quæ datur legitimè certan-

tibus (vt nuper ex hoc ipſemet Authore oſtenſum eſt) id eſt merces illa laboris quam Dominus promittit ſe redditurum in cœlo, iis qui in militia huius vitæ fortiter & fideliter pugnauerunt; ſic etiam eiuſdem Pallij Circulus ſpecialiter ſignificat, (vt docent Alcuinus & Honorius Auguſtodunenſis preſbyter) ipſam torquem fideli certamine acquirendam.

Alcuin. & Honor. loco cit de diuin. Offic.

Pars vero circuli Pallij, in ſiniſtra parte eſt duplex, in dextera vero ſimplex, quo ſignificatur (vt docet Innocentius tertius) quam forti animo prælatus tollerare debeat vitæ præſentis moleſtias & quod toto affectu, ad futuræ quietem aſpirare debet; iuxta Pſalmiſtam dicentem. *Vnam pretij à Domino hanc requiram.* Vel quod vita præſens, quæ ſiniſtra repreſentatur, multis obnoxia eſt mo-

Innoc. loco cit. Durantus lib. 3. de diuin. Offic.

Digitized by Google

leſtiis, & vtraque fortuna, proſpera ſcilicet, & aduerſa agitatur; futura vero quam dextera deſignat, vna eſt: vnde dixit Dominus. Porro vnum eſt neceſſarium.

Lineæ id eſt faſciæ, quarum vna ante pectus, altera à tergo pendet, ſignificant, vt docet Honorius nuper laudatus, Pontificem debere in vtraque lege plene eſſe inſtructum. At vero Innocentius tertius ex harum alia myſtica ſignificatione adeo ſanctam, tantique momenti deprompſit, & ſcriptis reliquit Prælatis inſtructionem, vt merito illam hîc ad verbum referre debeamus ſic enim ait.

Duæ lineæ, quarum vna poſt dorſum, altera progreditur antè pectus, actiuam & contemplatiuam vitam ſignificant, quas ita debet exercere Prælatus, vt exemplo Moyſis, nunc in

montem aſcendat, & ibi philoſophetur cum Domino: nunc ad caſtra deſcendat, & ibi neceſſitatibus immineat populorum, prouiſurus attentius, vt cum ſæpe ſe dederit aliis, interdum ſe ſibi reſtituat, quatenus & cum Martha, circa frequens ſatagat miniſterium, & cum Maria verbum audiat Saluatoris. Vtraque tamen grauat inferius. (Inde colligo, etiam tempore huius Pontificis fuiſſe laminas plombeas in extremitate harum faſciarum,) quia corpus quod corrumpitur aggrauat animam, & deprimit terrena inhabitatio ſenſum multa cogitantem.

Reſtat nunc vt tertiam ſpeciem ſignificationis myſticæ noſtri Pallij, quam in ei adiacentibus, & veluti accidentibus, ſeu parergis diximus conſiderari poſſe, declaremus. Primum locum tenent quatuor cruces purpureæ, ipſi, in eius

circulo

circulo intextæ, quarum vna eſt ante pectus, altera à tergo, tertia in dextero humero, quarta denique in ſiniſtro. Ac primum de earum ſignificatione nos docturus prodeat author antiquus Rabanus Maurus, fuit enim diſcipulus Albini ſeu Alcuini Flacci, qui tempore Caroli Magni florebat, vir ſanè Cardinalis Bellarmini calculo, æque piùs & doctus; ſic enim primo libro ſuæ Inſtitutionis Clericorum de his ſcripſit.

Quod genus Indumenti (*loquitur de ſacro Pallio*) *crucis ſignaculum purpureo colore exprimit, vt ipſo indutus pontifex, à tergo & pectore crucem habeat.* (*An non plures fuerunt ſuo tempore? Equidem ita loquens, de hoc, dubium nobis reliquit*) *ſuaque mente piè, & digne, de paſſione redemptoris cogitet, ac populo, pro quo Dominum deprecatur redem-*

ptionis ſuæ ſignaculum demonſtret. Condecet quoque bene vt ipſa Apoſtolica dignitas, apoſtolicum virum faciat, vt plena deuotione, ſacro ſermone, & digna operatione poſſit dicere cum Apoſtolo: mihi autem abſit gloriari niſi in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti per quem mihi mundus crucifixus eſt & ego mundo.

Honorius in gemma animæ.

Confirmauit piam hanc doctrinam. Honorius preſbyter Auguſtodunenſis, cum ſcripſit has cruces monere pontificem debere mente & corpore Chriſti imitari paſſionem. Sed attendamus ad aliam interpretationem Innocentij tertij, Chriſtiana mente non minus dignam.

Innocentius 3. lib. cit.

Quatuor cruces purpureæ, inquit, ſunt quatuor virtutes politicæ, Iuſtitia, fortitudo, prudentia, temperantia, quæ niſi crucis, Chriſti ſanguine purpurentur, fruſtra ſibi vir-

Digitized by Google

tutis nomen vſurpant, & ad veram beatitudinis gloriam non perducunt. Vnde Dominus inquit Apoſtolis; Niſi abundauerit Iuſtitia veſtra pluſquam Scribarum, & Phariſæorum, non intrabitis in regnum cælorum. Hæc eſt purpurea regis tunica, tincta canalibus, quam Salomon commemorat in canticis Canticorum. Is ergo qui gloria Pallij decoratur, ſi cupit eſſe quod dicitur, in anteriori parte debet habere iuſtitiam, vt redeat vnicuique quod ſuum eſt: Prudentiam in poſteriori, vt caueat quod vnicuique nociuum eſt; fortitudinem à ſiniſtris, vt eum aduerſa non deprimant; temperantiam à dextris vt eum proſpera non extollant.

Cæterum non me præterit quoſdam authores, quatuor has cruces referre, ad quatuor ſacra elementa nominis, tetragrammati,

(id eſt quatuor litterarum ,) ac ineffabilis ſummi Dei , quæ laminæ aureæ quam pontifex ſupremus antiquæ legis circa tempora ferebat ; ſed cum id faciant , eo quod pallium noſtrum ipſi laminæ ſucceſſiſſe, & eius loco eſſe opinantur , quod ego vt iam anteà profeſſus ſum , non ita facile admiſerim de hac interpretatione amplius dicere , conſulto ſuper ſedeo.

Tandem vltimo loco ſeſe declarandam offert ſignificatio non prætereunda aurearum gemmatarumque acicularum, quæ pontificali Pallio inſiguntur , & quæ ſunt prætioſiora eius ornamenta; Hanc igitur myſticam , & ſpiritualem gemmam ; à quo melius accipiemus quàm ab Honorio Auguſtodunenſi , in ſuo opere *Gemma animæ* inſcripto, vbi ait , *Spinu-*

Digitized by Google

læ, quibus pallium affigitur, ſunt claui quibus corpus Chriſti cruci configitur, ſed ex hac ſignificatione & ſenſu veluti allegorico, tropologicum hunc mihi videtur nos colligere poſſe, videlicet ſi dixerimus has pretioſas aciculas ſignificare, quod Pontifex, qui Pallium gerit, debet magno, & ſummo Pontifici Chriſto, charitate arctiſſime adhærere, vt verè poſſit dicere, (ad verba Apoſtoli, alio ſenſu tamen, alludens) *mihi autem Chriſtus crucifixus eſt, & ego Chriſto.*

Poſt Honorium Preſbyterum erudiat nos de eadem re poſterior ætate, at prior dignitate Author, ſummus Pontifex Innocentius tertius, qui egregiam hanc atque amplam de ſignificatione acicularum Pallij ſcripſit doctrinam. *Innocentius tertius loco citato.*

Tres autem acus, quæ Pallio infi-

guntur, ante pectus, ſuperhumerum, & poſt tergum; deſignant compaſſionem proximi, adminiſtrationem Officij, diſtrictionemque iudicij: quarum prima pungit animum per dolorem; ſecunda per calorem, tertia per terrorem. Prima pungebat Apoſtolum cum dicebat; Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis ſcandaliſatur, & ego non vxor? ſecunda eſt: præter illa quæ extrinſecus ſunt inſtantia mea quotidiana, ſollicitudo omnium Eccleſiarum. Tertia; ſi iuſtus vix ſaluabitur, impius & peccator vbi parebunt: ſuper dextrum humerum non infigitur acus, quoniam in æterna quiete nullus eſt afflictionis aculeus, nullus ſtimulus punctionis. Abſterget enim Deus omnem lachrymam, ab oculis ſanctorum, & iam non erit amplius, neque luctus, neque clamor ſed nec vllus dolor, quoniam priora tranſierunt. Acus eſt aurea; ſed inferius

eſt acuta, & ſuperius rotunda, lapidem continens pratioſum, quia nimirum, bonus Paſtor propter curam ouium in terris affligitur, ſed in cælis æternaliter coronabitur, vbi prætioſam illam margaritam habebit, de qua Dominus ait in Euangelio, ſimile eſt regnum cælorum homini negotiatori quærenti bonas margaritas, inuenta autem vna pretioſa margarita abiit, & vendidit omnia quæ habuit, & emit eam.

Summum hunc Pontificem ſequitur Epiſcopus illi ferè æqualis, Durantus videlicet Mimatenſis Epiſcopus, qui vult tres aciculas Pallij, fidem, ſpem, & charitatem denotare, ſine quibus Pontifex, ritè & vt decet Pallium ferre non poteſt.

Atque hæ ſunt admirabiles prorſus ſacri noſtri Pallij tum hiſtoricæ, tum myſticæ ſignificatio-

Digitized by Google

nes, quibus conſideratis ceſſare debet omnis admiratio quod tam auguſtum plenitudinis Metropolitarum poteſtatis inſignè, eòrumque præcipuum ornamentum, ex tam exili & ſimplici materia, nempe ouis lana conficiatur. Nam ex hoc colligendum, & perſpicuum eſt, illud non ad oſtentationem, ſed ad ſignificationem præcipuè inuentum fuiſſe, quod optime Durandus obſeruauit hiſce verbis.

Durandus loco citato.

Pallium fit de vili materia vt pretium habeat non à ſe, ſed ab eo quod ſignificatur in ſe: vt non oculis ſed menti ſit ſpectabile, vt non ad ornandum, ſed ad ſignificandum induci intelligatur.

Eandem fuiſſe, hac de re doctrinam beatiſſimi Pontificis Gregorij Magni, eumque ad hanc reſpexiſſe & alluſiſſe mihi videtur, cum

ad Ioannem Rauennatem Epiſcopum ſcribens, hocce pium, graue, notatuque dignum, ipſi & omnibus Præſulibus monitum dedit.

Decorari Pallio volumus, forſan moribus indecori, dum nihil in Epiſcopali ceruice ſplendidius fulget, quàm humilitas. 1. Greg. lib. 2. Epiſt. 54. & Eph. 130

Sed & ad Maximum Salonitanum Epiſcopum ſcribens ait de Pallio, quod ei mittit. 17. ad Maximum Salonitanum Epiſc.

Pallium ad ſacra miſſarum ſolemnia vtendum ex more tranſmiſimus, cuius vos volumus per omnia genium vendicare. Huius enim indumenti honor, humilitas atque iuſtitia eſt: Tota ergo mente fraternitas veſtra ſe exhibere feſtinet in proſperis humilem, &c.

CAPVT SEPTIMVM.

Cuius ſit Pallij ius conferre.

EIvs eſt qui in Apoſtolica ſede ſedet, Papæ nimirum, qui eſt Summus Pontifex, à quo Archiepiſcopi, vt obſeruantiam, & vnionem in fide cum eadem ſancta ſede proteſtentur; necnon vt plenitudinem poteſtatis Archiepiſcopalis ab ea accipiant, illud petere debent. Hæc eſt conſtans doctrina iuris Pontificij Interpretum, qui ad eam confirmandam obſeruant quod in formula verborum, quibus traditur Pallium, & in diplomatibus Pontificum, quando illud mittunt, dicitur, Pallium ſumptum fuiſſe de corpore ſancti Petri, non tantum ad deuotionem inſinuan-

Digitized by Google

dam, eo quod in altari ſepulturæ huius Apoſtolorum principis benedicuntur Pallia, & in eo tota nocte relinquntur; ſed etiam vt plenitudinem Pontificalis poteſtatis quam traditione Pallij communicant, ab illo & ſede Apoſtolica deriuare ſignificetur.

Enimuerò occaſione interpretationis horum verborum formulæ qua traditur Pallium, adferam obſeruationem Nicolai Allemanni viri eruditiſſimi in ſuo tractu de Lateranenſibus Parietinis, qua quidem mihi videtur, quæſtionem tam recenter, quam parum prudenter agitatam de authoritate Apoſtolorum Petri & Pauli, primo tractu ſolui; & doctrinam quæ ipſam fuiſſe inter illos omnimode æqualem prædicaret vnico iaculo lethaliter confudi poſſe, eſt autem huiuſmodi.

Nicol. Alemanus tractatu parietinis Lateran. c. 19.

Digitized by Google

Hinc ritus ille Patrum vetuſtiſſimus, vt licet in Pontificum Maximorum Litteris, inde à Leonis tertij tempore, vna Petri, Paulique dignitas, poteſtas, authoritaſque celebretur: Pallia tamen quæ primariis dabantur Prouinciarum Antiſtitibus, de Principis Apoſtolorum corpore, non de Pauli Collegæ monumento ſumerentur, quo illa quam Pallium denotat plena poteſtas ex vno Petro quaſi ſanctiſſimo fonte, in alios deriuari intelligeretur. Quemobrem, ne Religionis tantum, ac pietatis ergo, Pallia de corpore ſancti Petri deſumi crederentur, Gregorius Magnus tum Leandro Antiſtiti, tum aliis, de Beati Apoſtoli ſede, hoc eſt Eccleſia Romana, Pallia tranſmittere ſe profitetur.

At ego in hanc obſeruationem, pro eius confirmatione adnoto, quod Pallia, ad altare quod eſt ſupra ſepulchrum ſancti Petri, vt

diximus benedicta, dicuntur ſumi de eius corpore tantum, & non de Pauli, licet habeat cum eo communem ſepulturam. Quin etiam in oratione Benedictionis Palliorum quam pro coronide operis damus, dicuntur Pallia poſita fuiſſe ſupra corpus ſancti Petri nulla facta mentione corporis ſancti Pauli.

Notandum attamen non omnes Metropolitas, immediatè Pallium à Papa accipere; nam ſummi illi Patriarchæ, qui poſt illum maximam in orbe terrarum habent authoritatem, illud ab ipſo recipientes, ſimul & ius obtinent, ipſum, Metropolitis ſui Patriarchatus elargiendi. Hoc conſtat ex Decreto Conſilij Lateranenſis ſub Innocentio tertio anno milleſimo ducenteſimo decimo quinto; quo id non tam de nouo ſtabili-

Digitized by Google

tum, quam renouatum & declaratum fuit, vt patet ex ipſius decreti verbis ſic enim habet.

Cap. 5. in Actis Conc. At in Decret. extra lib. 3. tit. 33.

Antiqua Patriarchalium ſedium iura renouantes, ſancta vniuerſali Synodo approbante, ſancimus, vt poſt Romanam Eccleſiam, quæ diſponente Domino ſuper omnes alias ordinariæ poteſtatis obtinet Principatum; vtpote Mater vniuerſorum Chriſti fidelium, & Magiſtra, Conſtantinopolitana primum, Alexandrina, ſecundum, Anthiochèna, tertium, Hieroſolimitana quartam locum obtineant, ſeruata cuilibet propria dignitate: Ita quod poſt quàm eorum Antiſtites à Romano Pontifice receperunt Pallium, quod eſt plenitudinis Officij Pontificalis inſigne, præſtito ſibi fidelitatis & obedientiæ iuramento, licenter & ipſi ſuis Suffraganeis Pallium largiantur, recipientes pro ſe profeſſionem Canonicam, & pro Ro-

Digitized by Google

mana Eccleſia ſponſionem obedientiæ ab eiſdem.

Tale eſt de verbo ad verbum Decretum Concilij; cuius Acta (præter quam quod major eorum pars inſerta eſt in quinque libris Decretalium iuris Canonici) vera & ipſiſſima edita ſunt ſimul cum operibus Innocentij tertij, quod conſultò addo, ne quis in errorem inducatur, ex errore Authoris, quiſquis ille fuerit, qui ibi eiſdem actis præfationem præfixit. Nam valde allucinatus eſt, vt optimè obſeruauit Bellarminus, licet alioquin ſit ſcriptor doctus, ac pius, vt præfatio ipſa præ ſe fert, cum ſcripſit, Acta hæc ibi inſerta, vt referuntur, non eſſe ipſa propria, quæ fuerunt à Concilio condita, ſed ab ipſo ſanctiſſimo Pontifice Innocentio tertio poſt Concilium, pro vt nouerat facta, fuiſ-

Digitized by Google

ſe deſcripta, idque colligit, ex eo quod in quibuſdam capitulis citat Concilium Lateranenſe, non aduertens, in his, ab hoc Concilio citari aliud præcedens Concilium Lateranenſe ſub Alexandro tertio.

Cæterum nullius momenti eſt contra quod diximus, de ſummo ſummi Pontificis ipſique proprio iure Pallium conferendi, Reſcriptum illud quod reperitur Valentiniani Imperatoris, ad ſanctum Ioannem Rauennæ Epiſcopum, qui obiit anno quadrageſimo trigeſimo ſecundo, quo prædictus Imperator Eccleſiam Rauennatem dicitur erigere in Archiepiſcopatum, & ſancto Ioanni, & ſuis ſucceſſoribus ius Pallij in perpetuum conferre; nullius inquam momenti eſt, cum Baronius, qui & illud reſcriptum refert validiſ-
ſimis

ſimis rationibus probet; illud eſſe falſum, & ſuppoſititium; conijcitque factum, vel potius fictum fuiſſe tempore, quo aliqui Rauennates Epiſcopi ſchiſmate ab Eccleſia Romana diuiſi fuere, ne ab illa Pallium petere cogerentur. Nihil tamen, ex hac falſitatis huius Reſcripti probatione, vult detrahi dignitati nobiliſſimæ Rauennatis Eccleſiæ, cuius Archiepiſcopi Pallio ſacro fulgent, ſed à ſummo Pontifice, non ab Imperatore accepto.

Quod autem Rubeus pietate erga patriam ductus, hoc Reſcriptum de Pallio, de quodam quaſi paludamento, quo Cæſares in ſolemni pompa vti conſueuerunt, cuius vſus Rauennatibus præſulibus conceſſus fuit interpretari ſuis ſcriptis conatus eſt, idem Baronius ex ipſis verbis Reſ-

cripti, de Pallio Archiepiſcopali intelligendum eſſe manifeſtè demonſtrat.

CAPVT OCTAVVM.

Quibus datur Pallium.

PAPA, qui pro ſuo ſummo Iure & Apoſtolica poteſtate, Pallia ſacra minoribus Pontificibus diſtribuit: ſibimetipſi, propria & ſuprema illa, qua vniuerſali Eccleſiæ præeſt authoritate, ius vtendi Pallio attribuit, eoque ſemper, & vbique terrarum vti poteſt, & regulariter eo vtitur quotieſcumque miſſam ſolemnem Pontificalem celebrat. Et Pallium ſignificat in eo non tantum plenitudinem poteſtatis vt in aliis Pontificibus, ſed etiam, quod obſeruant iuris

Pontificij Interpretes plenitudinem pleniſſimam.

Verum ius illo vtendi conceditur, ab ipſo ſummo Pontifice, tanquam ipſis proprium Patriarchis, ſi non re, ſaltem iure quo vti poteſt, (nam de Patriarchis Eccleſiæ Orientalis, qui ſunt Conſtantinopolitanus, Alexandrinus, Anthiochenus, & Hieroſolymitanus, quod illud non ab ipſo ſummo Pontifice accipiunt, poſt ea dicemus.) Patriarchis inquam ſiuè maioribus, qui ſunt hi quatuor prædicti, præter ſummum Romanum Pontificem & Patriarcham, qui eſt Patriacha Occidentalis Eccleſiæ: ſiue minoribus qui frequentius in Eccleſia Latina ſiue Occidentali dicuntur Primates ac denique Metropolitis ſeu Archiėpiſcopis, à quibus vſus Inualuit vt Pallium, Archiepiſcopa-

cripti, de Pallio Archiepiſcopali intelligendum eſſe manifeſtè demonſtrat.

CAPVT OCTAVVM.

Quibus datur Pallium.

PAPA, qui pro ſuo ſummo Iure & Apoſtolica poteſtate, Pallia ſacra minoribus Pontificibus diſtribuit: ſibimetipſi, propria & ſuprema illa, qua vniuerſali Eccleſiæ præeſt authoritate, ius vtendi Pallio attribuit, eoque ſemper, & vbique terrarum vti poteſt, & regulariter eo vtitur quotieſcumque miſſam ſolemnem Pontificalem celebrat. Et Pallium ſignificat in eo non tantum plenitudinem poteſtatis vt in aliis Pontificibus, ſed etiam, quod obſeruant iuris

Pontificij Interpretes plenitudinem pleniſſimam.

Verum ius illo vtendi conceditur, ab ipſo ſummo Pontifice, tanquam ipſis proprium Patriarchis, ſi non re, ſaltem iure quo vti poteſt, (nam de Patriarchis Eccleſiæ Orientalis, qui ſunt Conſtantinopolitanus, Alexandrinus, Anthiochenus, & Hieroſolymitanus, quod illud non ab ipſo ſummo Pontifice accipiunt, poſt ea dicemus.) Patriarchis inquam ſiuè maioribus, qui ſunt hi quatuor prædicti, præter ſummum Romanum Pontificem & Patriarcham, qui eſt Patriacha Occidentalis Eccleſiæ: ſiue minoribus qui frequentius in Eccleſia Latina ſiue Occidentali dicuntur Primates ac denique Metropolitis ſeu Archiėpiſcopis, à quibus vſus Inualuit vt Pallium, Archiepiſcopa-

le diceretur, denominatione vt opinor à maiori numero Archiepiſcoporum facta.

Verumtamen, ex ſpeciali gratia ſummi Pontificis, quibuſdam Epiſcopis Pallij honor collatus eſt, vt obſeruat Hoſtienſis: veluti Auguſtodunenſi in noſtra Gallia, Papienſi in Longobardia, Lucenſi in Tuſcia, Bambergenſi in Germania; & aliquando hoc priuilegium eſt tantum perſonale, ita vt mortuo Epiſcopo, cui conceſſum eſt, ius non remaneat Eccleſiæ, vt ſucceſſores illud petere poſſint.

Hoſtie. in Tit. de vſu & auct. Pal.

At ſingulare illud priuilegium Eccleſiæ Auguſtodunenſis cōceſſum præſulibus, nobis ſpecialiter conſiderandum eſt, non tantum eo quod in honorem totius Galliæ redundat, ſed etiam propter ſanctitatem conferentis, ſcilicet

Digitized by Google

ſanctiſſimi Pontificis Gregorij Magni, & merita primum illud recipientis qui fuit Siagrius clarus virtutibus Epiſcopus; hacque de cauſa maiorem ſancti Gregorij Epiſtolæ partem, qua illud contulit, notatu etiam digniſſimam, ob vtiliſſima Antiſtitibus documenta quæ continet, hîc referendam duximus: Hæc ſunt igitur in ea Magni authoritate, & doctrina Gregorij verba, ad ipſum Siagrium.

Quia igitur in prædicationis opere, quamdiu cogitans Anglorum genti, per Auguſtinum quondam Monaſterij mei Præpoſitum, nunc autem fratrem, & Coepiſcopum noſtrum, impendere ſtudui, ita ſollicitum atque deuotum, adiutoremque in omnibus te, vt oportuit fuiſſe cognouimus, vt magnum me ſibi fraternitas tua hac de re faceret debito- Epiſt. 112.

rem; tantæ rei conſideratione commonitus, ne infructuoſus erga te viderer exiſtere, fraternitatis tuæ petitionem, nulla pertuli ratione poſtponere. Proinde ſecundum poſtulationis tuæ deſiderium, Pallij te vſu, quod intra Eccleſiam tuam habere debeas, ad ſacra tantum Miſſarum ſolemnia celebranda, Deo authore præuidimus honorandum: quod tamen ita tibi dandum eſſe decreuimus, ſi prius, per Synodi definitionem emendari promiſeris, quæ corrigenda mandauimus: quia dignum profecto eſſe credimus, vt cum mentis grauitate, quâ Deo te propitio pollere didicimus, habitus quoque exterioris clarior in te cultus accreſceret; præſertim, cum te hunc non ad ſuperfluæ elationis pompam, ſed pro genio & honore tuæ arbitramur Eccleſiæ petiuiſſe: cuius ne indumenti magnificentiam nudam videamur modo

contuliſſe hoc etiam pariter proſpeximus concedendum, vt Metropolitæ, ſuo per omnia, loco & honore ſeruato Eccleſia ciuitatis Auguſtodunenſis, cui omnipotens Deus præeſſe te voluit poſt Lugdunenſem Eccleſiam eſſe debeat, & hunc ſibi locum & ordinem ex noſtræ authoritatis indulgentia vendicare. Cæteros vero Epiſcopos ſecundum ordinationis ſuæ tempus, ſiue ad conſidendum in Concilio, ſiue ad ſubſcribendum, vel in qualibet alia re ſua attendere loca decernimus, & ſuorum ſibi prærogatiuam ordinum vindicare: quia omnino rationis ordo nos admonet, vt cum vſu Pallij aliqua ſimul ſicut diximus largiri priuilegia debeamus; ſed quoniam cum honoris augmento, cura quoque ſollicitudinis debet accreſcere, vt cultui veſtium actionis quoque ornamenta conueniant; oportet vt enixius in cunctis ſe ſtudiis veſtra fra-

ternitas exerceat, & circa ſubiecto-rum actus cura ſit vigilans, vt veſtrum illis exemplum, inſtructio, & vita magiſtra ſit. Linguæ veſtræ exhortatione diſcant quod metuant, & doceantur quod diligant, vt dum talenta credita lucro multiplicata reddideris, in die retributionis audire ſis meritus: Euge ſerue bone & fidelis, intra in gaudium Domini tui.

Præterea hîc dicere non prætermittimus, Epiſcopum Oſtienſem ſeu Oſtiorum Tyberinorum, ex Inſtitutione ſancti Marci Papæ, qui anno trigeſimo quinto ſupra trecenteſimum ſedebat, debere conſecrare in Epiſcopum Papam, quando ante ſuam electionem in ſummum Pontificem, non eſt conſecratus, & in ea conſecratione vti Pallio Archiepiſcopali, vt oſtendit Baronius ex Authore libri de Romanis Pontifici-

Baron. anno 336.

bus, cuius hæc ſunt verba dum loquitur de ſancto Marco.

Hic conſtituit vt Epiſcopus Oſtienſis qui conſecrat Epiſcopum vrbis, tunc Pallio vteretur, & ab eodem Epiſcopus vrbis conſecraretur.] *Obſeruat autem in hæc vltima verba Baronius, quod primus non inſtituit ſanctus Marcus vt Papa ab Epiſcopo Oſtienſi conſecraretur, quia hic ritus videtur ipſo antiquior, nam Dionyſius Papa dicitur conſecratus à Maximiano Epiſcopo Oſtienſi, & ſanctus Auguſtinus meminit eius vetuſtiſſimi ritus contra Donatiſtas. Hanc autem ſedem Oſtienſem optat, & obtinet, tanquam proprium titulum Decanus Collegij Cardinalium, eſt enim prima ſex ſedium Epiſcopalium, quas ſex primi Cardinales occupant veluti proprios Titulos, & quæ ſubiacent ſedi Romanæ immediate vt ſuffraganeæ aliæ, ſuæ Metropolitanæ ſubiacent.*

CAPVT NONVM.

Collatio ſacri Pallij non petiti.

SAcrorum licet antiqua authoritate Canonum, Pallium ſacrum enixe peti debeat, vt diſtinctius capite ſequenti oſtendemus, ab iis quibus ius illius competit; hoc tamen non obſtat, quin primis eius inſtitutionis temporibus præſertim, ac etiam deinceps ſummi Pontifices illud motu proprio, ob graues cauſas, vel etiam id exigentibus aliquando votis, & inſtantia Regum, aut magnorum principum elargiri potuerint.

Immo, quod mirum eſt, recuſanti & inuitò miſſum fuit ab Alexandro tertio qui anno milleſimo centeſimo ſeptuageſimo ſeptimo

ſedebat, vt refert Saxo Grammaticus: cum enim Eſchillus Lundenſis Metropolitanæ quæ eſt in Dania Archiepiſcopus, ſenio confectus, ab eo importunis præcibus obtinuiſſet, vt ſibi ſucceſſor deligeretur, Abſalon Roſchildenſis Epiſcopus, virtute, & meritis ſpectatiſſimus; omnium votis & ſuffragiis electus eſt; at eum nec tali electione, nec regis, & procerum precibus adduci poſſet, vt relicta ſua Eccleſia, ad aliam tranſiret, grauibus ex cauſis decreuit Papa, vt iſtius primæ Eccleſiæ cura retenta, huius adminiſtrationem etiam aſſumeret; quod quidem primum tentatum fuit, vt obſeruat Baronius, nimirum vt duo vni, coactione ſummi Pontificis, darentur Epiſcopatus. *O nouam & inauditam (verba ſunt Saxonis) curiæ magnificentiam! recuſanti Pal-*

Saxo l. 14. in fine & apud Baron. anno 1177.

lium ingeſtum eſt, inſigneque, quod petentibus ægrè præſtari ſolet, repugnanti violenter imprimitur. Dignos humeros, quibus tam præclarum onus imponeretur: Veniens ſiquidem Romanorum Legatus Galandus Lundenſi Clero Roſchildiam euocato, præſentem Abſalonem, non ſolum litterarum recitatione, quæ eum Electioni parere iubebans; ſed etiam Anathematis comminatione, quo ſe aduerſus eum, ſi repugnare perſeueraſſet vſurum dicebat, Electoribus aſſentiri, fidemque obeditionis ſolemniter ab eiſdem recipere coëgit; quem poſtmodum Lundenſi in templo, Pallio, quod attulerat muneratus, die poſtero Riſpenſium electum Homerum, religioſo eius miniſterio Pontificem conſecrari conſpexit.

Sanè conceſſum fuiſſe à ſancto Marco Pallium Epiſcopo Oſtienſi, ſaltem in actu conſecrationis

ſummi Pontificis motu proprio, & nulla præcedente petitione, verba quæ nuper ex libro de ſummis Pontificibus retulimus ſatis oſtendere videntur.

Sed & ſanctus Gregorius qui ſæpius ſuis Epiſtolis, Pallium non niſi petentibus dari teſtatur, videtur non petitum miſiſſe Ioanni Primæ Iuſtiniani Epiſcopo electo, tanquam confirmationis eius electionis teſſeram. Sic enim ſcribit Epiſcopis electoribus: *Ratamque nos eius conſecrationem habere, dirigentes Pallium indicamus.* Deinde in Epiſtola ſua, eadem occaſione ad ipſum Ioannem, nulla facta petitionis mentione, ſic ait: *Pallium vero ex more tranſmiſimus, & vires vos Apoſtolicæ ſedis agere, iterata innouatione decernimus.* S.Greg Ep. 7. & 8.

Inſuper, par eſt credere, quod multoties, cum à ſede Apoſtolica

miſſi ſunt quidam magni viri, in quædam regna, aut quaſdam prouincias, tanquam Apoſtoli ſemen fidei diſſeminaturi, ad maiorem miniſterij authoritatem, & efficaciam, eos ab ipſa etiam Pallium recipiſſe, antequam illud peterent, vt Apoſtolicis vicibus tanquam Archiepiſcopi, aut Primates fungerentur: aut certè poſt vberes laborum ſuorum in Domini vinea fructus, proprio motu Pontificum, ipſo, tanquam honorifico præmio, & vt ſedes Pontificales populis ad fidem conuerſis erigere poſſent donatos fuiſſe.

Equidem illuſtre de hoc nobis eſt exemplum Magnus ille Bonifacius Germanorum Apoſtolus, ſub Gregorio ſecundo, qui anno ſeptingenteſimo decimo quarto ſedebat, vt teſtantur huius Pontificis ad ipſum Epiſtolæ. Nam ea

qua ſe ad eum Pallium mittere ſignificat, cauſas miſſionis, nullum de aliqua petitione verbum faciens, ſic declarat. *Greg. ſecundus Ep. 8. in Collect. Epiſtol. Decret.*

Magna nos habuit gratulatio lectis ſanctiſſimæ fraternitatis tuæ litteris, cum in eis relata ſerie fuiſſet repertum Domini noſtri Ieſu Chriſti gratia, plurimas te à gentilitate, & errore, ad veræ fidei acquiſitionem conuertiſſe. Quod quia diuina inſtitutione docemur in parabolis, cui quinque talenta credita fuerant alia quinque fuiſſe lucratum, in talis commercij lucro cum tota plaudimus Eccleſia: hinc iure tibi ſacri Pallij direximus munus, quod Beati Petri auctoritate ſuſcipiens induaris, atque inter Archiepiſcopos vnus Deo Authore, præcipimus vt cenſearis. Et paulo poſt: *Quia vero turbas Domini gratia, in eiſdem partibus ad rectam fidem aſſeruiſti conuerſas, ne-*

quire te, occurrere omnibus, & eá quæ ſalutis ſunt impendere, aut intimare; cum longè lateque, gràtia Chriſti, eius fides in illis partibus propagetur; præcipimus, vt iuxta ſacrorum Canonum ſtatuta, vbi multitudo excreuit fidelium, ex vigore Apoſtolicæ ſedis debeas ordinare Epiſcopos, pia tamen contemplatione, vt non vileſcat dignitas Epiſcoporum.

At magnos interdum Principes Pallium pro Antiſtitibus locorum ditioni ſuæ temporali ſubiectorum à ſede Apoſtolica petiiſſe, etiam ipſis Epiſcopis non petentibus, fidem facit ſancti Gregorij Magni Epiſtola ad Brunichildam Francorum Reginam de Pallio Siagrio Auguſtodunenſi Epiſcopo concedendo in qua ſic ait:

S. Gregor. Epiſt. ad Brunichildã Reginam.

Suſceptis itaque Epiſtolis veſtris, valde nobis excellentiæ veſtræ ſtudium

dium placuiſſe ſignamus, atque fratri, & Coepiſcopo noſtro Siagrio Pallium dirigere, ſecundum poſtulationem veſtram voluimus; propter quod & Sereniſſimi Domini Imperatoris, quantum nobis Diaconus noſter, qui apud eum reſponſa Eccleſiæ faciebat, innotuit prona voluntas eſt, & concedi hoc omninò deſiderat, atque multa de prædicto fratre noſtro tam vobis, quàm etiam aliis teſtificantibus ad nos perlata ſunt, maximè vitam eius, Ioanne Regionario ad nos remeante, cognouimus. Et quod in fratre noſtro Auguſtino fecerit audientes, Redemptorem noſtrum benedicimus, quia eum ſacerdotis nomen etiam operibus implere ſentimus. Sed res plurimæ reſtiterunt, quæ nos hoc interim facere minimè permiſerunt. Primum ſiquidem, quia is qui Pallium ipſum venerat accepturus, Schiſmaticorum tenetur errore impli-

citus. Deinde quod id non ex veſtra petitione, ſed ex nobis tranſmiſſum voluiſtis intelligi. Extra hoc autem, quia, nec is qui eo vti deſiderat directa ad nos hoc ſibi largiri ſpeciali petione popoſcerat, & tantam cauſam nullo modo præbere ſiue eius poſtulatione debuimus.

Childebertus etiam Rex Galliæ, petiit olim, & obtinuit à ſancto Gregorio Pallium pro Virgilio Epiſcopo Arelatenſi (qui tamen illud quoque petierat) vt patet ex Epiſtola eiuſdem Gregorij ad ipſum Virgilium, ex qua etiam apparet eius prædeceſſores in Eccleſia Arelatenſi ius Pallij obtinuiſſe, ait enim: *Quod verò iuxta antiquum morem vſum Pallij ac vices ſedis Apoſtolicæ poſtulaſti*: Et paulo poſt: *Cum Priſcam conſuetudinem ſedis Apoſtolicæ fraternitas veſtra repetit*, & infra ſic addit: *Libenti ergo*

S. Greg. Ep. ad Virgil. Arel. Epiſc.

Digitized by Google

animo poſtulata concedimus; ne aut vobis quicquam de debito honore ſubtrahere, aut præcellentiſſimi filij noſtri Childeberti Regis petitionem contempſiſſe videamur.

Denique Turpinus Archiepiſcopus Rhemenſis, qui ſedit quadraginta ſeptem annis, & vſque ad tempus Hadriani primi peruenit; ab ipſo precibus Caroli Magni Pallium accepit, vt teſtatur Baronius; ex quo intellige non omnes Archiepiſcopos tunc temporis priuilegio Pallij decoratos fuiſſe, cum tamdiu ſine illo Turpinus ſediſſet. Hincmarus etiam eiuſdem Eccleſiæ Archiepiſcopus, precibus Lotharij Imperatoris à Leone quarto Pallium accepit, ad vſum quotidianum de quo poſtea Capite de vſu Pallij.

Baron. anno 717.

Digitized by Google

CAPVT DECIMVM.

Debitum petendi Pallium.

Vide interp. in tit. de vſu & Auct. Pallij.

IVXTA ſacros canones, ſtatim ac aliquis ad dignitatem Archiepiſcopalem, aut aliam, cuiius Pallij competit eſt euectus, & conſecratus; debet, vt plenitudinem poteſtatis habeat, Pallium ſacrum à ſede Apoſtolica petere, id que ſaltem intra tres menſes, niſi adſit legitimum impedimentum. Huius vero obligationis petendi Pallium, eſt inſigne & notabile teſtimonium, Epiſtola Gregorij ſeptimi Papæ ad Rothomagenſem Archiepiſcopum, qui illud petere neglexerat, in qua illud ſeuerè ita reprehendit.

Ex Greg. ſept. Epiſt. pr.ma lib. 9.

Illud quoque niſi nos Apoſtolica

manſuetudo retineret profectò ſeuerius in te iam animaduerſum ſenſiſſes, quod huc vſque præclariùs tuæ dignitatis inſigne, videlicet Pallium, ab Apoſtolica ſede pro more acquirere poſtpoſuiſti. Teipſum namque non ignorare putamus, quam diſtrictè ſanctorum patrum cenſura in eos iudicandum ſtatuerit, qui poſt conſecrationem ſuam per tres continuos menſes Pallium, quod ſui ſit officij, obtinere, tæpuerint. Proinde Apoſtolica tibi præcipimus authoritate, vt quia ſanctorum patrum ſtatuta paruipendiſti, nullum deinceps Epiſcopum, vel ſacerdotem ordinare, ſeu Eccleſias præſumas conſecrare, donec honoris tui ſupplementum, Pallij videlicet vſum, ab hac ſede impetraueris.

Pallium autem petere debebant olim Archiepiſcopi, vel alij, quorum Eccleſiæ Pallij ius habe-

bant, perſeipſos, & illud præſentes in curia Romana recipere, hoc quoque declaratur alia eiuſdem Pontificis Epiſtola ad Brunonem Epiſcopum veronenſem, ſic enim ibi ait.

Ex Epiſtol. Greg. ad Brun. veron. Epiſc.

Dilectionem tuam in his quæ à nobis ex poſtulaſti, id eſt in Pallij conceßione ad præſens non recompenſamus, quia Anteceſſorum noſtrorum decreuit authoritas, niſi præſenti perſonæ Pallium non eſſe concedendum. Vnde ſi fraternitas tua Apoſtolicæ ſedis priuilegiis munita, ad nos venerit, honorem quem Romani pontifices anteceſſoribus tuis contulerunt nos tibi Deo concedente conferemus. Sicut enim Romanæ Eccleſiæ debitum honorem impendi à cæteris Eccleſiis, ita vnicuique Eccleſiæ proprium ius ſeruare deſideramus.

Vnde manifeſtum eſt, quod ſicut nunc Cardinales nõ recipiunt

Digitized by Google

galerum Cardinalis dignitatis inſigne à ſummo Pontifice niſi præſentes, vbi ille eſt: ſic etiam Antiſtites, qui ius petendi Pallij habebant, præteritis temporibus Romam proficiſci tenebantur: vel quocunque eſſet, ſummus Pontifex vt illud reciperet. Nunc autem ex Pontificum indulgentia illud petere poſſunt, & recipere per Procuratorem. Negotium vero illud tanti momẽti eſt, vt etiam aliquando poſt conſecrationem Archiepiſcopi, vnus Epiſcopus ex ſuffraganeis ſuis propter hoc ad ſummum Pontificem miſſus fuerit: id enim obſeruat & colligit eruditiſſimus Cardinalis Antonius Caraffa olim Apoſtolicus Bibliothecarius, ex Epiſtola ſancti Gregorij ad Ioannem Corinthiorum, Archiepiſcopum in qua ſic habetur.

Cardinal. Caraffa in obſeruat. in Epiſt 5. Greg.

Pallium vero, ſicut per Epiſtolam veſtram quam per Andream fratrem, & Coepiſcopum noſtrum ſuſceptimus poſtulaſtis, direximus, quo ita vos vti neceſſe eſt, ſicut prædeceſſores veſtri vſi, concedentibus noſtris prædeceſſoribus approbantur.

At non ſolum Archiepiſcopus debet iuxta ſacros Canones Pallium ſuum petere à ſede Apoſtolica, pro prima Eccleſia Archiepiſcopali, quam obtinet; ſed & eodem iure, ſi contingat ipſum à prima illa tranſire ad aliam Archiepiſcopalem, tenetur aliud nouum petere, cum non poſſit amplius vti illo primo in ſua noua Eccleſia; & ratio eſt, quia vſus Pallij, non ſolum conceditur intuitu perſonæ, ſed etiam loci, vnde Archiepiſcopus extra Prouinciam ſuam non poteſt vti Pallio.

Digitized by Google

Cæterum prælatos petitione Pallij non debere propriam gloriam quærere, ſatis oſtendit ſanctus Gregorius dum ſcripſit ad Siagrium Auguſtodunenſem Epiſcopum, illud ei mittens his verbis: *Te hunc* (habitum intellige nempe Pallium) *non ad ſuperbæ elationis pompam, ſed pro genio & honore tuæ arbitramur Eccleſiæ petiuiſſe.* Et ideo in formula qua traditur Pallium, dicitur dari ad honorem Dei; Beatæ Mariæ Virginis, & Eccleſiæ recipientis & cæt. vt capite duodecimo de modo recipiendi Pallium videri poteſt.

S. Greg. Ep. ad Syag. Auguſt. 122.

Digitized by Google

CAPVT XI.

Defectus Pallij.

Et Apologetica pro Canonicis de petitione Pallij ſanctionibus, Diſſertatiuncula.

Vid. Pontifical. Rom. & ſcriptores in tit. de auth. & vſu Pallij.

ARchiepiſcopus, etiam conſecratus, antequam Pallium habeat, præter quam quod non poteſt Archiepiſcopi ſibi nomen aſſumere, neque Concilium conuocare, quæ ſunt iuriſdictionis actus; non poteſt etiam Chriſma conficere, nec Epiſcopos conſecrare, aut Clericos ordinare, vel Eccleſias dedicare quæ ſunt ordinis munia, ſed in his Pallio vtitur. Sicuti enim Epiſcopalis Eccleſia, Epiſcopo proprio nondum conſecrato, quamuis electo cenſetur vidua, eo quod

Digitized by Google

ille non poſſit munia Epiſcopalis ordinis obire; ſic etiam Archiepiſcopus, nondum Pallio, plenitudinis poteſtatis iudice, munitus, non poteſt aliqua, tum iuriſdictionis, tum ordinis munia, antequam ſuum Pallium habeat prohibita, exercere. Crux etiam Archiepiſcopalis, ante Archiepiſcopum, nondum recepto Pallio, deferri non poteſt.

Mirantur aliqui, quod Archiepiſcopus conſecratus, cum ordine & caractere vere Epiſcopus ſit, nihilominus ante Pallij receptionem non poſſit legitime exercere ea quæ ſunt ordinis Epiſcopalis. Ego vero eorum admirationem non poſſum ſatis mirari. Mirentur quod quis Sacerdos ordinatus nō poſſit ex Eccleſiæ inſtituto celebrare Miſſam ſine caſula, aut aliis paramentis ſacerdotalibus. At in-

quiunt Archiepiſcopus in iis fun-ctionibus, quæ illi prohibentur exercere abſque Pallio, non ſe gerit vt Archiepiſcopus, ſed vt Epiſcopus. Quid inde? Epiſcopum agens, exuit ſe dignitate Archiepiſcopali? Certè Epiſcopus Miſſam ſolemnem celebrans, nullum actum ordinis Epiſcopalis, ſed tantum Sacerdotalis exercet, & tamen non poteſt ſine mitra celebrare: eodem modo, ſi Eccleſia Archiepiſcopo prohibet hæc munia obire, abſque tantæ dignitatis qua fulget præcipuo inſigni ſaltem obtento (nam de vſu an ſit ſemper neceſſarius poſtea dicemus) ne illud petere negligat: quis eius fidelis & vt decet humilis filius, optimæ, & ſapientiſſimæ Matris, hanc prohibitionem reprehendere, & leuitatis accuſare audeat? Quid quæſo frequentius

quàm quædam, licet non abſolutè neceſſaria, tamen ad bene eſſe, & vt valde conuenientia vtroque iure ſtabiliri? alioquin, ad quid tot Rubricæ Pontificalis & Miſſalis Romani, & ceremonialis Epiſcoporum præſcripta?

At vrgent fortiori argumento dicentes, quod interim dum expectatur Pallium, Archiepiſcopalis Eccleſia pari poteſt aliquando plura & grauia incommoda ex defectu conuocati Concilij, ordinationis Clericorum, aut conſecrationis Eccleſiarum, quæ fieri poſſent ſine Pallio: ſed videant, prudenter iiſdem Eccleſiaſticis legibus quibus id prohibetur, prouiſum eſſe, vt Archiepiſcopus illud petat quamprimum à conſecratione, vel à confirmatione electionis ſuæ, ſi antea erat Epiſcopus conſecratus. Immo & prohi-

bitio prædicta exercendi antè Pallium receptum, eſt etiam pœna negligentiæ illud petendi, & ſedi Apoſtolicæ (à qua Archiepiſcopalis Iuriſdictio petitione Pallij peti debet) debitum obſequium reddendi.

Inſuper reſponderi poteſt, præterquam quod his neceſſitatibus occurrentibus, variis modis ſupleri poteſt defectui poteſtatis Archiepiſcopi, quod incommoda quæ culpa & negligentia quorundam particularium, vel alio quouis modo, caſu, & raro oriri poſſunt ex legum obſeruatione, nulli impedimento eſſe debent, quin leges ob publicum & perpetuum aliquod bonum condantur; alioquin non modo difficile, ſed & nunquam conderentur.

Sane quanti momenti ſint leges de petitione Pallij, & pænis in ne-

Digitized by Google

gligentes, manifeſtum eſt ex eo quod licet prout tēpus ferebat & ſecūdum neceſſitates ſummorum Pontificum, aliquādo pro expeditione Litterarum Apoſtolicarum quibus ius Pallij, confertur aliquid ſit ſolutum, aliquando non: tamen eædem leges abſque aliqua indulgentia circa eas ſemper viguerunt: Nam ſemper cum agitur de traditione Pallij apud antiquos aut recentiones ſcriptores, & in Pontificum Epiſtolis & Decretis, præſertim ſancti Gregorij, ſemper dicitur eo conferri plenitudinem poteſtatis, id eſt, vt omnes explicant exercendi illa, quæ diximus ante Pallium receptum, Archiepiſcopos exercere non poſſe. Iiſdem tamen verbis intelligi poteſt iuriſdictio Archiepiſcopalis, quæ cum Pallio confertur.

Primus, ſaltem quem obſerua-

Digitized by Google

re potuerim, qui quod dabatur in obtentione Pallij remiſit, immo & qui prohibuit peti, vt ipſemet declarat Epiſtola ad Ioannem Corinthiorum Epiſcopum, fuit ſanctus Gregorius magnus, nihil tamen remittens circa obligationem illud petendi. At ipſius, de hoc conſtitutionem, non multos poſt annos antiquatam fuiſſe coniicere poſſumus, ex eo quod Anaſtaſius in Leone ſecundo, qui annos circiter octoginta poſt ipſum ſedebat, nempe anno ſexcenteſimo octuageſimo tertio, dicit his verbis: *Hic* (*id eſt Leo ſecundus*, *fecit conſtitutum*, *quod Archiuo Eccleſiæ continetur*, *vt qui ordinatus fuerit Archiepiſcopus*, *nulla conſuetudine*, *pro vſu Pallij*, *aut diuerſis Officiis Eccleſiæ quicquam quis perſoluere debeat.* Sed de aliqua indulgentia quoad obligationem petendi

petendi Pallium nullum verbum facit.

At poſt prohibitionem Leonis, aliquando pro vſu Pallij litteris Apoſtolicis obtinendo, rurſum aliquid ſolutum fuiſſe ſatis manifeſtum eſt ex litteris Cnuti, alias Canuti cognomento Magni, Regis Daniæ & Angliæ, &c. ad Primates Anglos, de iis quæ Romæ cum Ioanne vigeſimo Papa tractauerat pro communi vtilitate Regnorum ſuorum, quas litteras referunt Guillelmus Malmeſburienſis, & Ingulphus, antiqui & fideliſſimi ſcriptores de rebus Anglicis, & poſt eos Baronius anno vigeſimo ſeptimo ſupra milleſimum quo ſedebat Ioannes vigeſimus. In iis enim aſſerit ſe obtinuiſſe ab ipſo vt Archiepiſcopi ſui, gratis pallium obtinerent, pro quo prius aliquid ſoluebant, nihil ta-

Digitized by Google

men dicit indultum fuiſſe de obligatione, è partibus adeo remotis proficiſcendi Romam (prout teſtatur tunc morem fuiſſe) in propria perſona ad petendum Pallium.

Optima vero ratio legum Eccleſiaſticarum ad petitionem Pallij tam ſtricte, & ſub grauibus pœnis obligantium, hæc eſſe videtur. ius ſuum Metropolitanæ Eccleſiæ, vel aliæ quæ Pallio decoratæ ſunt, & ſpecialem iuriſdictionem ipſo ſignificatam, à ſede Apoſtolica mutuātur. Quid igitur æquius, & rationi magis conſentaneum, quam eorum Antiſtites, ſtatim ac ad eas euecti fuerint, vel etiam ex vna ad alteram tranſlati, ſpeciali, & particulari Pallij petitione id profiteri? Et quid maioris momenti, quàm ſeueris legibus, ne ex negligentia petitionis, ius ab eadem

ſede accipiendum, ſibi tanquam proprium arrogent prouidere?

Huiuſce ergo adeo ſtrictæ obligationis Archiepiſcoporum de petendo Pallio ſuo ſcopus, eſt debita eorum erga ſedem Apoſtolicam ipſa prompta & diligenti petitione Pallij teſtificata obſeruantia, ex qua ſecurior ſummis Pontificibus obedientia, & maior cum ipſorum ſede vnio, ad commune Reipublicæ Chriſtianæ bonum oriatur.

CAPVT XII.

Petitio & receptio Pallij in Romana Curia.

ARchiepiſcopi præſentes Romæ per ſeipſos, vel ex Indulgentia Pontificum, vt antea diximus, abſentes & per procurato-

Digitized by Google

rem petunt à ſummo Pontifice in Conſiſtorio ſuum Pallium, idque iuxta formam petitionis *inſtanter*, *inſtantius*, & *inſtantiſſime*. Papa autem petitioni annuens committit priori Diaconorum Cardinalium, vt illud det, quod fit ſequenti modo vt ſcriptum reliquit Chriſtophorus Marcellus, author veteris libri de ſacris Ritibus ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, quem iam pluries citauimus.

Statuta die Prælatus Pallium recepturus, ſi eſt preſens, vel eius Procurator in eius abſentia, cum ſpeciali mandato venit ad locum deſtinatum, qui ſæpè eſt Capella Palatij ipſius Cardinalis Diaconi: aliquando tamen datur Pallium in ipſa Eccleſia Principis Apoſtolorum ſancti Petri, & ad altare maius. Adeſt ipſe Cardinalis cum ſuis Capellanis, ac etiam vnus ex Subdiaconis Apoſtolicis,

Digitized by Google

quibus, vt diximus, cura Palliorum committitur, qui Pallium extendit in medio altaris, & Prælatus indutus Planeta ſuper Rochettum, genuflexus ante Cardinalem, qui ſtat in cornu dextro altaris, ſcilicet à parte in qua legitur Euangelium in Miſſa, petit ſacrum Pallium hac formula.

Ego N. Electus Eccleſiæ N. inſtanter, inſtantius, & inſtantiſſimè peto mihi tradi & aſſignari Pallium de corpore Beati Petri ſumptum, in quo eſt plenitudo Pontificalis Officij.

Tum Cardinalis accipit Pallium de altari, & imponit illud ſuper humeros Prelati genuflexi dicens:

Ad honorem omnipotentis Dei, & Beatæ Mariæ ſemper Virginis atque BB. Apoſtolorum Petri & Pauli, nec non Eccleſiæ N. tibi commiſſæ, tradimus tibi Pallium de corpore B. Petri ſumptum, in quo eſt plenitudo Pontificalis Officij cum Patriarchalis,

Digitized by Google

vel Archiepiſcopalis nominis appellatione, vt vtaris eo intra Eccleſiam tuam certis diebus qui exprimuntur in priuilegiis, ab Apoſtolica ſede conceſſis, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.

Et illud, adiuuante Subdiacono Apoſtolico aptat ſuper humeros, non tamen firmat aciculis, & recipit prælatum ad oſculum pacis. Poſtea vero Clerius ceremoniarum aufert à prælato Pallium, & aduocatis teſtibus rogat inſtrumentum de ipſo actu, ac denique plicat Pallium, & illud portat prælato, cui conceſſum eſt, vel illud reſeruat in loco ſacro, donec ipſe diſcebat, & tunc illud ipſi dat ſimul cum publico inſtrumento.

Hîc nulla mentio fit iuramenti fidelitatis ſedi Apoſtolicæ, quod prælatus præſtare debet antequam

Pallium recipiat, vt dicitur in Pontificali Romano (in quo eſt forma iſtius iuramenti) ac etiam in Cæmoniali Epiſcoporum capite de Pallio, & modo illud recipiendi extra curiam Romanam; quia vt pro babiliſſimum eſt, Prælatus præſens Romæ, illud præſtat, ante ſummum Pontificem, antequam Pallium recipiat à Cardinali Diacono.

Si autem Pallium tradendum ſit procuratori in abſentia prælati, ipſe procurator ſuperpelliceo indutus genuflectit, eo modo quo dictum eſt de ipſo prælato, & petit Pallium & iurat ſub hac forma.

Ego Procurator & Procuratoris nomine, & pro parte Reuerendi in Chriſto Patris & Domini N. Electi Eccleſiæ N. inſtanter, inſtantius, & inſtantiſſime peto mihi dari &

aſſignari Pallium de corpore beati Petri ſumptum, in quo eſt plenitudo Pontificalis offitij, & promitto illud reuerenter portare eidem Reuerendo patri Domino N. Non pernoctabo in aliquo loco, niſi vna nocte tantum, niſi præpeditus fuero legitime, & tunc in Cathedrali ipſius, & ſi non fuerit Cathedralis, in Collegiata, & ſi non fuerit Collegiata, in Parrochiali Eccleſia remittam, & honorifice reponam, ſic me Deus adiuuet, & hæc ſancta Dei Euangelia.

Diaconus autem Cardinalis accipiens Pallium de altari, imponit illud ſuperhumeros Procuratoris dicens.

Ad honorem omnipotentis Dei, & Beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli, & Domini noſtri Papæ, ac ſanctæ Eccleſiæ, aſſigno tibi Pallium de corpore beati Petri ſumptum, in

quo eſt plenitudo officij Pontificalis, cum Archiepiſcopalis nominis appellatione; nomine, & pro parte Reuerendi in Chriſto Patris Domini N. & Eccleſiæ N. ad quam electus eſt, vt eo vtatur intra Eccleſiam ſuam certis diebus, qui exprimuntur in priuilegiis ab Apoſtolica ſede conceſſis.

Poſt ea Procurator oſculatur manum Cardinalis, & rogat Clericum cæremoniarum, & petit inſtrumentum; Clericus aufert ei Pallium, plicat, & reportat, & conſeruat in loco ſacro, quouſque Procurator ſit diſceſſurus, & tunc dat illi Pallium, & inſtrumentum in publica forma.

Digitized by Google

CAPVT XIII.

Miſſio, ſeu conceſſio Pallij cum litteris Apoſtolicis.

SOlent ſummi Pontifices, cum Pallium alicui prælato ſiue motu proprio, quod tamen non eſt nunc in vſu, ſiue ab Apoſtolica ſede petitum, mittunt ſeu concedunt, tanto muneri & priuilegio adiungere litteras Apoſtolicas, quibus de illius authoritate vſu, & ſignificatione illum monent, ſed & grauibus æque ac piis verbis illum etiam adhortantur, vt talem ſe moribus exhibeat, qualem decet eſſe Antiſtitem myſtico illo ornamento decoratum; quæ monita, cum valde vtilia ſint, non erit inutile aliqua ex eis hinc in exem-

Digitized by Google

plum referre, ac primum ex Epiſtola ſancti Gregorij ad Donum Miſſanenſem Epiſcopum, quam quia perbreuis eſt integram referemus, vt eſt in libro quinto collectionis eius Epiſtolarum, & ordine octaua.

GREGORIVS DONO EPISCOPO MESSANENSI.

Apoſtolicæ ſedis beneuolentia, atque antiquæ conſuetudinis ordine prouocati, fraternitati tuæ, quam in Meſſanenſis Eccleſiæ gubernatione ſuſcepiſſe conſtat officium, Pallij vſum præuidimus concedendum, illis videlicet temporibus, atque ordine, quibus Deceſſorem quoque tuum vſum eſſe non ambigimus: Hoc nihilominus admonentes, vt ſicut à nobis huiuſcemodi decoris vſum ad ſacerdotalis officij honerem accepiſ-

Digitized by Google

ſe te gaudes, ita etiam morum, atque actuum probitate, ad gloriam Chriſti noſtra ſuſceptum authoritate adornare contendas officium. Sic etenim alterno eris inuicem decore conſpicuus, ſi ad huiuſmodi corporis habitum, mentis quoque tuæ bona omnia concordent: omnia etiam priuilegia quæ tuæ pridem, conceſſa eſſe conſtat Eccleſiæ, noſtra authoritate firmamus, & illibata decreuimus permanere.

Hanc autem Epiſtolam fuiſſe formulam aliarum quarundam ſancti Gregorij Epiſtolarum, eiuſdem argumenti, (licet non omnium,) patet, ex eo quod ſequens decima octaua ad Ioannem Epiſcopum Syracuſanum eadem omnino eſt, ac etiam Epiſtola quinquageſima quarta libri quarti, quæ fere eadem habet verba ad Marinianum Rauennæ Epiſcopum. Epiſtolæ autem centeſimæ trige-

ſimæ libri ſeptimi quæ eſt ad Maximum Epiſcopum Salonitanum, hæc ſunt ſanctiſſimi huius Pontificis verba; quorum aliqua è primis iam ſupra capite ſexto alia occaſione retulimus.

Pallium ad ſacra Miſſarum ſolemnia vtendum ex more tranſmiſimus, cuius vos volumus per omnia genium vendicare; Huius enim indumenti honor, humilitas atque iuſtitia eſt. Tota ergo mente fraternitas veſtra ſe exhibere feſtinet, in proſperis humilem, & in aduerſis, quando eueniunt, cum iuſtitia erectum; amicum bonis, peruerſis contrarium. Nullius vnquam faciem pro veritate loquentis premens. Miſericordiæ operibus iuxta virtutem ſubſtantiæ inſiſtens, & tamen inſiſtere etiam ſupra virtutem cupiens, infirmis compatiens, beneualentibus congaudens, aliena damna propria deputans, de

Digitized by Google

alienis gaudiis tanquam propriis exultans, in corrigendis autem vitiis ſæuiens, in fouendis virtutibus auditorum animos demulcens; in ira iudicium ſine ira tenens, in tranquillitate autem ſeueritatis ſuæ cenſuram non deſerens. Hæc eſt, frater, Chriſtiana Pallij accepti ratio, quam ſi ſollicite obſeruaueris, quod foris accepiſſe oſtenderis, intus habes.

Alexander verò ſecundus, Papa, qui anno milleſimo ſexageſimo ſecundo ſedebat, ſimili occaſione, nempe Pallium Petro Archiepiſcopo Dalmatiæ & Sclauoniæ mittens, cum litteris, quas Baronius refert & teſtatur repertas fuiſſe inter Antonij Auguſtini Archiepiſcopi Tarraconenſis fragmenta ſic habet.

Si Paſtores ouium, &c. & inferius, Pallium autem fraternitati tuæ ex more ad Miſſarum ſolemnia cele-

Digitized by Google

branda, ſicut anteceſſoribus tuis conceſſum eſt concedimus, videlicet in Natali Domini & cæt. Hortamur itaque charitatem tuam vt mores vitæ tuæ, tanto honori conueniant; quatenus authore Deo, exemplis, verbiſque poßis eſſe conſpicuus. vita igitur tua filiis tuis ſit regula, vt ſi qua tortitudo illis deprehenditur, in ea dirigatur. Cor ergo tuum neque proſpera quæ corporaliter hic blandiuntur extollant, neque aduerſa deiiciant, ſed quidquid illud fuerit, virtutis puritate deuincat & cæt. Concludit tandem exhortationem, ad illam, quam ſupra retulimus, ſancti Gregorij reſpiciens, iiſdem pene verbis ipſius vſurpatis, hoc modo: *Ecce frater chariſſimè inter multa alia iſta ſunt Sacerdotij (Epiſcopatus nimirum) iſta ſunt Pallij ornamenta, quæ ſi ſtudioſè obſeruaueris quod foris accepiſſe oſtenderis intus habebis.*

Addamus his, duo alia ſimilis exhortationis exempla ex litteris Vrbani ſecundi, qui ſedebat anno milleſimo, octuageſimo nono: Primum ex iis quas dedit ad Eliam Barenſem Archiepiſcopum, vſum Pallij ei concedens, vbi ſic habet.

Apud Baron anno 1089.

Hortamur fraternitatem tuam, vt honor tantæ dignitatis, ſupplementum vtique totius Sacerdotalis ordinis, moribus tuis conueniat, & non ſolum exteriori homini tuo, decorem præſtet & gratiam, ſed & interiorem quoque multiplici virtute corroboret; & paulo poſt: *Ad imitanda igitur omnium bonorum inſtrumenta, vita & ſcientia tua ſubditis tuis ſit forma & regula, vt ſi quid in eis ex humana fragilitate reprehenſibile deprehendatur, intuitu ſanctæ conuerſationis tuæ, ad rectitudinem ſinceritatis tuæ corrigatur.*

Secundum eſt ex litteris ſuis ad Beren-

Berengarium Tarraconenſem Archiepiſcopum, in quibus ſic eum alloquitur.

Te igitur Reuerendiſſime frater, affectione intima exhortamur, quatenus dignum te tanti honoris Pontificis ſemper exhibeas, Chriſtianis ac Saracenis ſine offenſione eſſe procurans. Ad fidem infideles quærere, Deo largiente verbis ſtudeas, & exemplis ſic exterius Pallij dignitate præcellas in oculis hominum, vt interius virtutum excellentia polleas coram ſupernæ oculis maieſtatis.

Porro quanta cum cautela, quamque diligenti & exacta conſideratione Pallium ſacrum conceſſerint ſummi Pontifices, argumento eſt, quod narrat ſanctus Bernardus in vita ſancti Malachiæ Archiepiſcopi Ardimachæ, & totius Hiberniæ Metropolitani, cũ de eius peregrinatione Romam

Digitized by Google

agit: nam licet, vt ibi narrat, benigniſſimè exceptus fuerit ab Innocentio ſecundo Papa, ita vt ipſe ſummus Pontifex committeret ei ſuas vices per totam Hiberniam, & Legatum eum conſtitueret ac in procinctu ſui reditus mitram quam gerebat (tunc enim ſummi Pontifices ſemper cum ad audientiam admittebant, mitram gerebant vt obſeruat Baronius) eius capiti impoſuiſſet, quin & ſtolam, ac manipulum quibus in Miſſa vtebatur ei dediſſet; Pallia tamen quæ pro ſua, & pro alia in eadem inſula conſtituta Eccleſia, petebat, pro tempore concedere noluit; dicens, oportere de hoc negotio ſolemnius agi, illique impoſuit, vt prius coacto in Hibernia Epiſcoporum terrę Concilio, cum vniuerſorum noto per legatos ea peteret.

Digitized by Google

CAPVT XIV.

Traditio Pallij extra Romanam Curiam.

PRæter litteras Apoſtolicas, quas ſummi Põtifices dant Prælatis, quibus mittunt Pallium, ſolent aliis ſuis litteris committere, vno vel duobus Epiſcopis, vt illud ipſi ſolemniter tradant. Ritus verò quo illud tradere debeant talis eſt, iuxta Pontificale Romanum & Cæremoniale Epiſcoporum.

Conſtituta die conueniunt omnes in Eccleſia Metropolitana, vel alia Prouinciæ Archiepiſcopi Pallium recepturi magis commoda, niſi neceſſitas aliud requirat. Ibi miſſa ſolemnis celebratur, in qua, poſt communionem celebrantis,

ponitur ſupra altare in medio Pallium, quod ibi extenſum cooperitur ſerico velo, in quo inuolutum portatum Roma fuit. Finita vero Miſſa Epiſcopus, vel Epiſcopi Commiſſarij induti amictu ſtola, pluuiali, & mitra ſimplici, ſedent ante altare in faldiſtoriis, ſeu aliis ſedibus, fidelitatis, iuramentum, cuius forma eſt in Pontificali, nomine ſedis Apoſtolicæ recipiunt ab Archiepiſcopo electo, induto omnibus Pontificalibus Paramentis, exceptis chirotecis, & mitra, & ante eos genuflexo, niſi ſe illud præſtitiſſe affirmet, & in fine dicto ab ipſo: *Sic me Deus adiuuet, & hæc ſancta Dei Euangelia*, reſpondent Commiſſarij, *Deo gratias*.

Quam conuenienter vero in re & occaſione tanti momenti requiratur iuramentum ab Electo

Palliũ recepturo, præſtari, oſtendit paſchalis. Secundus Papa, ad N. Polonorum Archiepiſcopum ſcribens his verbis.

Significaſti frater chariſſime Regem, & regni Maiores admiratione prouectos, quod Pallium tibi ab Apocriſariis noſtris (id eſt nuntiis ſecretis) tali conditione oblatum fuerit, ſi Sacramentum, quod à nobis ſcriptum detulerunt iurares. In Pallio frater plenitudo conceditur Pontificalis officij, quia iuxta ſedis Apoſtolicæ, & totius Eccleſiæ conſuetudinem, ante acceptum Pallium Metropolitanis minime licet aut Epiſcopos conſecrare, aut Synodum celebrare. Mirentur in hac cauſa & Dominum Ieſum *Chriſtum; Cum etiam Dominus Ieſus Chriſtus, ut omnium ouium ſuarum curam Simoni Petro committeret, conditionem poſuit dicens. Diligis me: Simon Petre? paſce oues* Baron. anno 1102.

meas. Si conſcientiarũ factor & conditor, conditione hac vſus eſt, nec ſemel tantum, ſed & ſecundo & vſque ad contriſtationem, qua nos ſollicitudine, qua prouiſione oportet tantam Eccleſiæ prælationem, tantam Chriſti ouium curam fratribus imponere, quorum conſcientias non videmus, illis maxime, quos nullo vſu nouimus, quorum dilectionem penitus ignoramus?

Poſtquam electus Archiepiſcopus præſtiterit iuramentum, Epiſcopus vel Epiſcopi ſurgunt cum mitris, & accipiunt ex altari Pallium, & ſenior ipſorum illud ſuper humeros electi ante eum genuflexi imponit dicens: *Ad honorem omnipotentis Dei & cæt. vt in Pontificali, & ſunt eadem fere verba quæ in formula, quam ſupra capite duodecimo retulimus.* Quo facto ſurgit Archiepiſcopus cum

Digitized by Google

Pallio, aſcendit ad altare vbi habens (ſi ſit in ſua Prouincia) ante ſe crucem Archiepiſcopalem, quam tenet aliquis ex ſuis Capellanis, detecto capite ſolemniter dat benedictionem Populo, dicens: *Sit nomen Domini benedictum*, & cæt. vt in Cæremoniali Epiſcoporum capite de benedictione ſolemni ab Epiſcopo danda.

CAPVT XV.

De vſu ſacri Pallij.

S*Ane ſolus Romanus Pontifex* (verba ſunt Innnocentij tertij Papæ) *in Miſſarum ſolemniis Pallio ſemper vtitur & vbique, quoniam aſſumptus eſt in plenitudienm Eccleſiaſticæ poteſtatis, quæ per Pallium ſignificatur; alij autem non ſem-*

Digitized by Google

per, nec vbique, ſed in Eccleſia ſua, in qua iuriſdictionem Eccleſiaſticam acceperunt certis debent vti diebus, quoniam vocati ſunt in partem ſollicitudinis, non in plenitudinem.

Vide interp. in tit. de vſu & Auct. Pallij.

Iure vero Canonico, & Pontificiis diplomatibus, conceditur ordinarie vſus Pallij Archiepiſcopis in ſua Prouincia, & in Eccleſia, & miſſa Pontificali, ſolemniter celebrata tantum, idque certis diebus ſolemnioribus, aut quorundam functionum, quæ abſque Pontificali Miſſa fieri non ſolent, præſcriptis. Dies autem hi & functiones declarantur in Cæremoniali Epiſcoporum hoc ordine, paululum diuerſo ab eo, qui eſt in Pontificali Romano, à Clemente octauo reſtituto.

Pallio vtitur Archiepiſcopus in ſingulis Eccleſiis Prouinciæ ſuæ, non autem extra Prouinciam; & dumta-

Digitized by Google

xat dum Miſſam ſolemnem celebrat, præſcriptis quibuſdam diebus, qui in priuilegis Eccleſiæ Metropolitanæ exprimi ſolent. Quod ſi non reperiantur expreßi, recurrendum erit ad communem conſuetudinem, quæ eſt vt eo vtatur diebus infra ſcriptis videlicet: Natiuitatis Domini noſtri Ieſu Chriſti, ſancti Stephani, ſancti Ioannis Euangeliſtæ, Circuncisionis, & Epiphaniæ Domini, Dominica in ramis palmarum, Feria quinta in Cœna Domini, Sabbatho ſancto, Reſurrectionis Domini, cum duobus ſequẽtibus; dominica in Albis, Aſcenſionis, Pentecoſtes, ſancti Ioannis Baptiſtæ, Duodecim Apoſtolorum feſtiuitatibus; in feſto corporis Chriſti, quatuor feſtiuitatibus glorioſæ virginis, id eſt, Purificationis, Annuntiationis, Aſſumptionis, & Natiuitatis; In feſto omnium ſanctorum, in Dedicationibus Eccleſiarũ,

in principalibus feſtiuitatibus Eccleſiæ Metropolitanæ ; in ordinationibus Clericorum, conſecrationibus Eccleſiarum, Epiſcoporum, & virginum, in diebus anniuerſariis conſecrationis Eccleſiæ principalis, & ſuæ.

Facit ad præſens propoſitum & Rubrica Pontificalis quæ ſic habet:

Non poteſt Patriarcha vel Archiepiſcopus vti Pallio extra ſuum Patriarchatum, vel Prouinciam, & non omni tempore; ſed tantum in Eccleſiis, in Miſſarum ſolemniis, in feſtis præcipuis, non in Proceſſionibus, neque in Miſſa pro deffunctis.

Enimuerò Archiepiſcopos olim non vti ſolitos fuiſſe Pallio in quibuſuis Prouinciæ ſuæ Eccleſiis, ſed tantum in principali ſcilicet Metropolitana, colligi poſſe videtur ex Epiſtola ſancti Gregorij ad Marinianum Rauennatem Epiſco-

pum, quæ eſt quinquageſima quarta libri quarti, in qua ſic habet:

Apoſtolicæ ſedis beneuolentia, & antiquæ ſollicitudinis ordine prouocati, fraternitati tuæ, quam in Rauennati Eccleſia gubernationis ſuſcepiſſe conſtat officium, Pallij vſum præuidimus concedendum, quo non aliter vti memineris; niſi in propria tuæ ciuitatis, dimiſsis iam filiis, Eccleſia, procedens à ſalutatorio ad ſacra Miſſarum ſolemnia celebranda. Peractis verò Miſsis, idem in ſalutatorio rurſum curabis deponere.

Habent tamen plures Metropolitanæ Eccleſiæ ſpecialia quædam priuilegia, vt declaratur in Cæremoniali Epiſcoporum, verbis nuper relatis, propter quæ poſſunt earum Archiepiſcopi vti Pallio extra prædictos dies; Atque talis priuilegij exemplum etiam habemus in hac eadem Epiſtola ſan-

ĉti Gregorij ad Marinianum: addit enim ſupra dictis.

Extra Eccleſiam verò, non amplius illo tibi, niſi quater in anno, in Litaniis, quas ad Deceſſorem tuum Ioannem expreſſimus vti permittimus.

Litanias hîc intellige, non eas quæ luctus & pœnitentiæ cauſa celebrantur, in quibuſdam proceſſionibus: nunquam enim tempore luctus Archiepiſcopis vti Pallio permittitur, vt ſatis indicat idẽ ſanctiſſimus Pontifex ad Ioannem, Rauennatem Epiſcopum, Epiſtola quinquageſima quarta libri ſecundi dicens.

Quomodo fieri poteſt, vt illud cineris atque Cilicij tempore, per plateas agas licitè, &c. Sed intelligendæ ſunt aliquæ feſtiuitates, in quibus fiebant Proceſſiones ſolemnes, cũ Litaniis, quas exprimit ipſi Ioan-

Digitized by Google

ni, Epiſtola vndecima libri quarti, ſcilicet in feſtiuitatibus ſancti Ioannis Baptiſtæ, ſancti Petri, ſancti Apollinaris, olim Rauennatis Epiſcopi, & in anniuerſaria die ordinationis ipſius Ioannis.

At maius adhuc priuilegium conceſſit Innocentius tertius Papa Compoſtellano Archiepiſcopo ita ei reſcribens. *Innocentius tertius conſtit. 64. l. 1.*

Ex tuarum tenore litterarum accepimus, quod cum fuerit in conceſſione Pallij tibi dictum, vt ipſo infra Eccleſiam tuam vtereris, & tibi pro Eccleſiæ tuæ negotiis frequenter extra Prouinciam tuam commoranti verecundum ſit abſque Pallio miniſtrare (cum conſuetudo ſit in Hiſpania generalis, quod Archiepiſcopi extra ſuas Prouincias Pallio indifferenter vtantur) vt extra tuam Prouinciam vti pallio valeas indulgere tibi à ſede Apoſtolica poſtulaſti.

Digitized by Google

Licet autem talis conſuetudo dicenda ſit potius corruptela: nos tamen de ſpeciali gratia indulgemus tibi vt ſi neceßitate aliqua præpeditus, ad Eccleſiam tibi ſubiectam, accedere forte nequiueris, pro conſecrandis ſuffraganeis tuis, vel Clericis ordinandis, & ad Eccleſiam alienam propter hoc te contigerit declinare (dummodo is, ad quem Eccleſia pertinet id permittat) vtendi Pallio in iam dictis caſibus liberam habeas facultatem.

Verum maximum, & fortè ſine vllo exemplo eſt illud, quod Leo quartus ſummus Pontifex elargitus eſt noſtro Hincmaro Rhemenſi Archiepiſcopo; vſus ſcilicet Pallij quotidianus; quod teſtatur Flodoardus in hiſtoria Rhemenſi hiſce verbis.

Flodoardus lib. 9. Hiſt. Rhem. c. 10.

Hincmarus ob ſanctitatem, & prudentiam colendus, Imperatoris Lotharij poſtulatione à Papa Leone

quarto, Pallium in vſum quotidianum accepit, licet ad eum iam vnum miſiſſet, quo diebus ſolemnibus ſibi præſcriptis vteretur; Hanc ob cauſam idem Leo Hincmarum ſua Epiſtola monuit ſe nulli vnquam ante Archiepiſcopo, vſum ordinarium & quotidianum Pallij conceſiſſe; nec in poſterum vlli vnquam conceſſurum.

Verumtamen colligitur ex Apologetica Epiſtola ipſius Hincmari ad Nicolaum primum, cognomento magnũ ſanctiſſimum Pontificum, qui Leoni quarto poſt Benedictum tertium immediatè ſucceſſit; ipſum, non ſolum tantum priuilegium non ambiuiſſe, aut petiiſſe; ſed eo ſibi ad inſtantiam Lotharij Imperatoris cõceſſo nunquam, vel ſaltem admodum parce præ modeſtia vſum fuiſſe. Hanc Epiſtolam quæ ampliſſima eſt Baronius à Nicolao Fabro, acceptam,

primum edidit in ſuis Annalibus anno 867. in qua Hincmarus quod ad præſens propoſitum attinet ſic ait:

In decretis feſtiuitatibus non ſolum non toties ſicut mihi conceſſum eſt, verum vix, aut nunquam eodem Pallio vtor, pro cuius vſu apud ſedem Apoſtolicam nil petij, niſi ſicut Deceſſores ac Prædeceſſores mei eo vti, & in Epiſcopi ordinatione ſolebant. Non enim vſum Pallij eſſe meæ dignitatis puto, ſed genij ſedis Metropolis eſſe cognoſco, dicente magno Leone Papa: Quoniam etſi diuerſa nonnunquam ſunt præſulum merita, tamen iura permanent ſedium, & cum multi ſint ſancti Epiſcopi, qui eodem Pallio non vtuntur; non neſcio quia ſi ſine virtutibus, quas, exponente Beato Gregorio Pallium ſignificat, Pallio vtor, etſi excellentiorem cæteris Rhemorum Prouinciæ ſedibus,

Metropo-

Metropolitarum ſedem, Pallij vſus demonſtrat in oculis hominum, non tamen maiorem me facit in occulis Domini.

An vero Archiepiſcopi diebus quibus Pallio vti poſſunt, tali modeſtiæ & humilitatis exemplo, abſtinere poſſint ab eius vſu, moueri poteſt quæſtio, idque affirmari poſſe videtur, cum talis vſus ſit potius ex conceſſione quam ex præcepto; At quia hoc videri poſſet contra receptum, & ordinarium vſum, abſtinere non conſulerem, ſaltem diebus, quibus iure & conſuetudine communi, aut ſuæ Eccleſiæ pro eius Antiſtitibus, & non ſibi ipſis tantum, conceſſo priuilegio, cæteri Archiepiſcopi eo vtuntur; eſt enim ornamentum ſacrum, vt & aliæ Pontificales veſtes.

Preterea Agapetus ſecundus,

Digitized by Google

qui anno 953. ſedebat, conceſſit Brunoni Colonienſi Archiepiſcopo, pietate & doctrina inſigni, vt Pallio, quod ab eo impetrauerat, quoties vellet vti poſſet. Id fuſius refert Baronius anno 953. ex Rotgero Monacho, in vita ſancti Brunonis lib. 23. quam refert Surius Tom. 5. 11. oct.

Porro nullo modo paruipendenda eſt obſeruantia temporis, & dierũ in vſu Pallij. Summi enim Pontifices iiſdem Apoſtolicis litteris, quibus illum concedunt, ipſam valde commendare ſolent, ac ſæpiſſime cum illam à quibuſdam negligi nouerint, alteris litteris grauiter eos coërcuerunt; etiã & cum comminatione amiſſionis priuilegij eo vtendi, niſi abuſum correxerint: de quo exemplum habemus in Epiſtola ſancti Gregorij ad Ioannem Rauennatem

Epiſcopum: ita enim illum ſeuere ob Pallij abuſum reprehendit:

Admoneo, quatenus niſi Diceſſorum meorum munificentia tibi hæc per priuilegia tributa docueris, vt in plateis Pallium ferre vlterius non præſumas, ne non habere ad Miſſas incipias, quod audaciter & in plateis vſurpas:

Ad hanc vero correptionem ipſe Ioannes reſponſionem dedit qua demiſſo admodum animo ſe excuſat. Ob alias etiam cauſas ſe vſum Pallij adempturum, idem ſanctiſſimus Pontifex aliquando comminatus eſt, nam Natali Epiſcopo Salonitano ſic reſcripſit. S. Greg. l. 2. Epiſt. 14.

Proinde fraternitas tua, vel poſt frequentatam totiens admonitionem, à culpæ ſuæ errore reſipiſcat, & præfatum Honoratum, in ſuum mox vt mea ſcripta ſuſceperit locum ſuſcipiat. Quod ſi forte diſtuleris, vſum

Digitized by Google

tibi Pallij, qui ab hac ſede conceſſus eſt noueris eſſe ſublatum.

Cum vero, quod ſupra oſtendimus, Archiepiſcopus non poſſit alterius Archiepiſcopi licet ſuus Prædeceſſor in propria ſua ſede fuerit, vti Pallio: inde fit, quod ipſe Archiepiſcopus moriens Pallium ſuum nulli alteri relinquit, ſed cum ipſo ſepelitur poſt mortem, ſic enim habetur in iure Pontificio.

De auctor. & vſu Pal. 1. ad hoc.

Quoniam Pallij vſus eſt perſonæ priuilegium, ac proinde ad alium non tranſit: ob eam cauſam iure eſt conſtitutum, vt Archiepiſcopus ſuo Pallio indutus ſepeliatur.

Si vero contigerit Archiepiſcopum à Metropoli ad aliam Metropolim tranſire, nouum Pallium, vt etiam diximus petit, & primum ſeruat, & cum duodus ipſis ſepeliri debet, vt obſeruat

Panormitanus. Præſcribitur autem in Cæremoniali Epiſcoporum quod ſi Archiepiſcopus extra Prouinciam ſuam ſepeliatur, Pallium ſub capite eius ponatur, non autem circa humeros; & hoc de eius conſeruatione viuente Archiepiſcopo ibidem additur.

Curent Archiepiſcopi vt Pallium in quo tanta eſt antiquitas, veneratio, & authoritas, digne & honorifice aſſeruetur, puta ſerico obuolutum, ac in capſula intus, & extra puchre ornata, vel ſerico obducta incluſum, tanquam venerabile ipſius Archiepiſcopi inſigne, myſticis ſenſibus plenum.

Digitized by Google

CAPVT XVI.

De authoritate ſacri Pallij.

LIcet ex dictis, præſertim capite quinto de ſignificatione hiſtorica ſacri Pallij, authoritas ipſius intelligi poſſit; nihilominus, ad maiorem diſtinctionem, & aptiorem methodum huius tractatus, de ea expreſſius ſpeciali hoc capite agere conſtituimus, ac præterea quaſdam obſeruationes addere quæ non contemnendæ videntur.

At vero noſtri inſtituti non eſt hîc exacte ſtilo, & more Iuriſconſultorum de Archiepiſcoporum Iuriſdictione ipſis authoritate Pallij collata agere; ſed tãtum authoritatem illam, & Iuriſdictionem generaliter, & vt ita dicam

Digitized by Google

hiſtorice repreſentare.

Igitur, tanta eſt Pallij Archiepiſcopalis authoritas & virtus, vt Electum, Principem Epiſcoporũ, id enim ſonat græca vox Archiepiſcopi, complete, perfecteque efficiat. Nam antequam illud recipiat, non ſolum authoritatem Archiepiſcopalem, vt demonſtrauimus ſibi arrogare, ſed nec nomen Archiepiſcopi ſibi aſſumere poteſt. Dicitur verò Archiepiſcopus, ſeu Epiſcoporum princeps, quia quoſdã Epiſcopos habet ſibi ſubditos, qui in iure dicuntur Suffraganei, quibus præeſt. Eſt enim Metropolita, (quo nomine etiam ſæpe vocatur) præcipuus Antiſtes totius alicuius Prouinciæ Eccleſiaſticæ, quæ plures Ciuitates, id eſt Epiſcopatus (nam Ciuitas proprie eſt quæ habet Cathedralem Eccleſiam ſeu ſedem Epiſcopalem) continet.

Quapropter iure & authoritate Pallij, poteſt Diœceſes Epiſcoporum ſibi ſubditorum viſitare, ad reformandos abuſus, eoſque ad Concilium Prouinciale cogere, & in eo decreta ad diſciplinam Eccleſiaſticam pertinentia condere, quæ obſeruentur in tota ſua Prouincia, ſicque quaſdam vices Apoſtolicas, ſeu ſummi Pontificis exercere poteſt, quod etiam ſæpè ſummi Pontifices litteris quibus vſum Pallij concedunt, declarant.

Poteſt etiã Archiepiſcopus, Pallij authoritate de quibuſdam criminibus Suffraganeorum ſuorum cognoſcere, & eos in quibuſdam cauſis citare, cum ab ipſorum iuriſdictione datur appellatio, in cauſis quæ ad ipſius Tribunal deuoluuntur. Numerus autem ſuffraganorum Archiepiſcopi non

Digitized by Google

eſt certus; plures enim in quibuſdam Prouinciis Eccleſiaſticis quam in aliis reperiuntur.

Præterea ſola authoritate Pallij Archiepiſcopus inſigni illo iure gaudet, vt crux ante eum in tota ſua Prouincia deferri poſſit, quod fieri non poteſt, antequam ipſo Pallio decoretur.

Authoritatem Pallij in exercenda iuriſdictione vidimus: at nunc quanta ſit in adimenda cuiuſuis defectus aut delecti macula videamus. Ioannes octauus Papa Pallium ad Vvilibertem Colonienſem, ſeu Agripinenſem Epiſcopum mittens, in ſuis litteris ſic habet. *Baron. anno 873.*

Pallij namque vſus, inter cætera tantæ virtutis eſt, vt poſtquam collatum fuerit, cui confertur omnem de retro actis exceſſibus calumniam adimat; non quod crimina purget, ſed

Digitized by Google

quod tanta debeat eſſe circunſpectio conferentis, vt nonniſi his carenti tantum munus conferre pertentet. Vnde imperfectus eſt, cui tantum donum aufertur, nec poteſt eſſe firmus, ſiue perfectus, qui huius ſacri non fuerit adiumenti collatione firmus, & integer. Ac per hoc neminem profecto poterit ſtabilire vel alicuius dignitatis dono ſtatuere, qui huius religioſi habitus munere defraudatus, ad tantæ perfectionis priuilegium peruenire non meruit, &c.

Enimuerò (quod valdè notandum) ſi authoritas ſacri Pallij, in fonte & origine, ac vt ita dicam, in radice ſpectetur, non ſolum magna, ſed & ſumma dicenda eſt; Etenim Pallium ad ſignificandam ſummi Pontificis authoritatem, à Chriſto ſub clauium nomine Petro promiſſam, collatamque; non ſecus, ac ipſæ claues fuit olim aſ-

Digitized by Google

ſumptum. Teſtantur hoc figuræ muſiuo opere expreſſæ, in aula antiqui Palatij ſummorum Pontificum Lateranenſis, quæ dicebatur Triclinium Majus, ſeu Triclinium Leonianum, quod ſcilicet illud Leo tertius, qui ſedebat tempore Caroli Magni, nimirum circa annum Chriſti octingenteſimum, extruxerit. In eius enim grandiori fornice, ſeu apſide repreſentatur tranſlatio Imperij Orientalis in Carolum Magnum, ab ipſo Leone facta. Ab vno verò latere, imagines ipſius Leonis genuflexi, & ſancti Petri quaſi è cœlo deſcendentis efformatæ fuerunt. Ibi verò ſanctus Petrus exhibet Leoni, tanquam ſucceſſionis in ſede & authoritate indicem, ſtolam paruam, quam eruditiſſimus vir Nicolaus Alemannus, in ſuo tractatu de parietinis Lateranenſi-

Digitized by Google

bus, poſt Greuterum, Pallium eſſe probat; ſed & ſimul eandem ſymbolicam, quam diximus Pallij ſignificationem, ſummæ authoritatis, oſtendit ex antiquorum Cœnobitarum conſuetudine, & vſu, qui cum tempore ſilentij Beatum Petrum deſignare vellent geſticulatione Pallium efformabant; verba ipſius Alemanni ſunt hæc.

Quæ poteſtas argumento clauium antiquitus intelligebatur, hæc poſterioribus deinde ſæculis, Pallij quoque agnoſcebatur veluti expreſſa, propriaque imagine. Certè Pallium Leonis (ſcilicet tertij) ætate, ad Petri Apoſtolorum principis dignitatem, quæ eadem Pontificis maximi eſt, ſignificandum, adeò fuit accommodatum inſigne, vt Monachis, cum ex præſcripto legum Cœnobitarum ſilentij religione tenebantur, ſi fortè Petrus commemorandus ſilentio fuiſſet,

Pallij ſigno ac geſticulatione iis legibus ita exprimeretur.

Pro ſigno ſancti Petri lex ait: Manum dextram, ab humero dextro deorſum, vſque in finem pectoris trahe: eo modo de ſiniſtro ad dextrum, propter ſimilitudinem Pallij, addens hoc, vt manu caua, coronam in capite ſimules.

Nimirum æque appoſitum Pallij fuit inditium ad Petrum Apoſtolorum Anteſignanum, indigitandum ac tonſuræ ſignum, quam à Petro in vniuerſum Clerum manaſſe nemo neſcit. Huc vſque Alemannus.

Porro nobile hoc de quo locuti ſumus tranſlati Imperij, ac ſummæ authoritatis Pallij ſacri, monumentum (quod ſolum ex antiquo Leoniani Triclinij ædificio reſtabat) noſtro æuo ſimidirutum, Eminentiſſimus Cardinalis Fran-

ciſcus Barberinus, Vrbani octaui è fratre Nepos; cui hanc noſtram de Pallio tractationem dicamus, vt & alia plurima Priſcæ magnificentiæ aut Religionis veſtigia, egregiè reſtituit: Is enim non ſolum pietatis ac bonarum litterarum, ſed & venerandæ antiquitatis laudabilis cultor ſemper extitit.

CAPVT XVII.

De differentia Pallij ſacri Eccleſiæ Latinæ à Pallio ſacro Eccleſiæ Græcæ.

MAxima procul dubio eſt: ſiue Pallij ſacri in ſeipſo conſiderati rationem habeamus, ſiue eius vſum ſpectemus. Nam quoad hunc, præterquam quod Patriarchæ Conſtantinopolitani, non ſolum quandiu fue-

Digitized by Google

runt ab Eccleſia Latina ſchiſmate diuiſi, ſed ex quo priuilegia aliqua inſolita vſurparunt, numquam Pallium, aut ius eo vtendi, & illud aliis conferendi à Romano Pontifice expoſtularunt; inſuper omnes ipſis ſubditi Epiſcopi vſum etiam ipſius abſque vlla petitione ſibi arrogarunt, ita vt illud in ſua conſecratione & ordinatione recipiant, & eo in omnibus ſacris functionibus, ſaltem in Miſſa fere ſemper vtantur.

Origo autem huius abuſus, à Luithprando primum Ticinenſi Diacono, exinde verò Epiſcopo Cremonenſi, magnæ authoritatis & ſingularis eruditionis viro, petẽda eſt. Is enim in relatione quam ipſemet ſcripſit de ſua Legatione, nomine Berẽgarij Imperatoris, ad Conſtantinũ octauum, Imperatorẽ Græcum, qui ſimul cum alio Im- *Vid. Baron. ann. 934.*

Digitized by Google

peratore, cui nomen erat Romanus, in Oriente Imperabat, anno nongenteſimo, quadrageſimo ſexto, ita de ea ſcripſit.

Sed quid hoc commemorem? tum ipſa Conſtantinopolitana Eccleſia, noſtræ ſanctæ Catholicæ atque Apoſtolicæ Eccleſiæ Romanæ merito ſit ſubiecta: ſcimus, immo videmus Conſtantinopolitanum Epiſcopum, Pallio non uti niſi ſancti noſtri Patris permiſſu. Verum cum impiiſſimus Albericus, quem non ſtillatim cupiditas; ſed velut torrens impleuerat, Romanam ciuitatem ſibi vſurparet, Dominumque Apoſtolicum quaſi ſeruum proprium, in conclaui teneret; Romanus Imperator (intellige illum Romanum nomine, qui vt diximus cum Conſtantino octauo in Oriente imperabat) filium ſuum Theophylactum eunuchum Patriarcham, (ſcilicet Conſtantinopolitanum) conſtituit. Cumque

eum

eum Alberici cupiditas non lateret, miſſis eo muneribus ſatis magnis effecit, vt ex Papæ nomine (nempe Ioannis vndecimi) Theophylacto Patriarchæ litteræ mitterentur, quarum authoritate, tum ipſe, tum ſucceſſores, abſque Paparum permiſſu Palliis vterentur; Ex quo turpi commercio vituperandus mos inoleuit, vt non ſolum Patriarchæ, ſed etiam Epiſcopi totius Græciæ Palliis vtantur: quod quam abſurdum ſit cenſere opus non eſt.

Quoad differentiam vero ſacri noſtri Pallij in ſe conſiderati, à Pallio ſacro Græcorum; ſatis exploratum eſt primis eius inſtitutionis temporibus, idem Pallium fuiſſe, tum apud Græcos, tum apud Latinos. Nam apud illos eandem fuiſſe ipſius materiam, quæ etiam nunc apud nos eſt, probatur ex verbis Iſidori Peluſiotæ, anti-

lana alba conficitur, Forma eius refert ſtolam longiſſimam, ita vt longius ac etiam latius videatur eſſe antiquiori Pallio noſtro; partem eius dexteram reuoluunt, & aptant ſuper humerum ſiniſtrum, & pendet à tergo; pars verò ſiniſtra remanet ante pectus, eo modo quo antiquitus noſtri Præſules vt obſeruauimus illud portabant.

Habent quoque Græci ritum particularem in vſu Pallij notatu dignum, ob myſterium quod continet; nam in Miſſa ad Euangelium illud deponunt, idque reuerentiæ cauſa erga primum & ſummum Paſtorem, annuntiatum aut loquentem in Euangelio, & præſentem poſt conſecrationem. Illud tamen ante communionem reaſſumunt, fortè quia eundem per eam in ſeipſis corporaliter præſentem habituri ſunt.

RITVS ET FORMA BENEDICTIONIS PALLIORVM,

Ex antiquo libro Baſilicæ Vaticanæ.

ACcipe beneuole lector grato animo hoc pretioſum collolarium benignitate Illuſtriſſimi & Reuerendiſſimi Capituli Baſilicæ Vaticanæ, me flagittante, procurante vero perilluſtri & admodum Reuerendo D. Elpidio Benedetti eiuſdem Baſilicæ Beneficiato, tibi conceſſum.

Benedictio Palliorum quæ fit in Baſilica ſancti Petri de vrbe, in ſignum præeminentiæ principalis hoc ordine perficitur.

PRimum cum Subdiaconi Apoſtolici ad quos ſpectat cura Palliorum volunt aliqua Pallia Benedici, ipſorum Decanus debet petere etiam à Vicario dictæ Baſilicæ, vt velit ea benedicere, nam id ad ipſum pertinet ſi eſt Epiſcopus, vel ad aliquem Epiſcopum ex Canonicis dictæ Baſilicæ, & ſi nullus eorum hanc Benedictionem facere vult, tunc prædictus Diaconus prouidet de aliquo Epiſcopo Curiæ qui illam faciat, & conueniri ſolet inter eos de die faciendæ Benedictionis, qui debet eſſe vnus ex feſtis ſolemnibus quod idem Diaconus intimat Altariſtæ. Die ad hoc præſtituto tempore ſuo (prius tamen inuitatis aliquibus ex Beneficiatis & Clericis Beneficiatis dictæ Baſilicæ pro dicendis vigiliis) in medio loci qui eſt ante Confeſſionem B. Petri iuxta gratem ex metallo, quæ ibi ſub altari maiori munit dictam confeſſionem, parat

menſam in modum altaris, & eam mappa munda cooperit, & deſuper ponit duo candelabra cum luminaribus & pro benedicente ſtolam, pluuiale album, mitram ſimplicem, & librum Benedictionis, & ad dexteram menſæ vel ibi prope facit vt ſint crux proceßionalis, Thurribulũ cum prunis, nauicula cum incenſo & cocleari, ac vas cum aqua Benedicta, & aſperſorio; item prope Cappellæ cancellos pulpitum cum libro pro dicendis vigiliis, & ſedes pro benedicente. Quibus omnibus ſic paratis, & completorio in dicta Baſilica finito, omnes inuitati congregantur in prædictum locum, & præfatus Decanus cum ſocio aſſignat per numerum Altariſtæ prædicto Pallia ſuper altare maius ſancti Petri vt benedicantur, qui Altariſta præſente Epiſcopo Benedictionem facturo recipit ea in lance argentea; deinde Epiſco-

Oremus.

DOmine ſancte Pater omnipotens æterne Deus, omnium ſanctificationum origo fundamentum & cauſa, omnis authoritatis cumulus, incomprehenſæ plenitudo ſcientiæ, ineffabilis virtutis infuſor gubernator, & rector, qui per ſanctos tuos Patriarchas Prophetas & Reges tua es magnalia operatus, quibus ſecuturi populi deterſa enigmatum caligine ſcripturarum in nouam proficerent creaturam, & qui licet ex Abraham, Iſaac & Iacob tibi ſemen elegiſſes, quo ex tribu Iuda Ieſus Chriſtus Coeternus tibi Filius, Deus & Dominus noſter ex Maria ſemper virgine humanæ naturam carnis aſſumeret, Primatum tamen tam Pontificij in Sacerdotes, quàm gubernationis in populum ex Pharaonis captiuitate Ægyptiaca eruendum, per tranſitum Maris rubri Moyſi & Aaron in Sacerdotibus

*in eo, vt ſicut Apoſtolorum nobis referunt Actus, infirmos ac debiles in grabatis ponerent in plateis vt eoſdem ſaltem Beatiſſimi Petri vmbra contingeret, qui à te procul dubio ab omnibus ſuis infirmitatibus ſanabantur. Secutis deinde temporibus ſanctorum Patrum te Domine inſpirante antiquiſsimæ mos tranſmiſſa vel tradita * plenitudinem Pontificalis tribuerent poteſtatis, ac pro conſecrationibus altarium Baſilicarumque per vniuerſum orbem terrarum pro deuotione fidelium mitterentur. Cumque ſupra hoc à quibuſdam minus credulis fuiſſet aliquando dubitatum; sãctiſſimi tibi Domino Deo noſtri grati Pontifices Leo, atque Gregorius, huius ſacræ Apoſtolicæ ſummæque ſedis à te directi Paſtores, coram vniuerſo populo qui adſtabat pannos huiuſmodi pupugerunt, ex quibus viuus protinus ſanguis, ſingulari duplica-*

* Omiſſa ſunt hîc quædã verba, quibus vt coniicio notatur in Originali antiqua miſſio Palliorum, ſimul & pãnorum ſiue velorũ quorũdam quæ Summi Pontifices contactu primum ſacrarũ Reliquiarum aliquomodo ſanctificata mittere ſolebant loco

Digitized by Google

ipſarum fidelibus qui ab ipſis aliquas reliquias petebāt, de qua conſuetudine mentio fit in vita S. Leones Magni & in vita S. Gregorij etiam Magni dicti.

to miraculo, te Domnine operante profluxit. Vnde nos licet horum imitatores immeriti, in iis myſteriis ſacris, quæ actu peragimus, de tuarum multitudine miſerationum, propter Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum tuorum preces & merita plurimum præſumamus, tantorum Patrum factum & ordinem proſequentes: clementiam tamen tuam ſupliciter exoramus, quatenus augmentum, ſubſtantionem, ac vinculum largifluæ charitatis ſanctæ Matris Eccleſiæ ſponſæ tuæ, quod in his noſtris meritis non valemus; tua ſuppleat ſuperabundantia pietatis: tuæ nihilominus maieſtati quantum poſſumus humillime ſupplicantes, quatenus ſuper hæc baltea, ſeu Pallia ex pura lana, quæ ſupra ſacratiſſimum Apoſtoli tui Petri priſcatoris hominum & ætherei ianitoris corpus, more priſco, debita cum deuotione poſuimus, & quæ ip-

Digitized by Google

ſius aliorumque Apoſtolorum, Martyrum, Confeſſorum & Virginum, in præſenti Baſilica Venerabiliter quieſcentium, ex quibus ſeges quaſi tota tuæ pullulauit Eccleſiæ, merita mirabiliter proteſtantur, largiſſimam tuæ Bene † dictionis ſancti † ficationis, Pontificalis † poteſtatis, præeminentiæ † ac dignitatis virtutem plenioremque gratiam miſericorditer digneris infundere, vt ſancti tui Spiritus cooperante virtute, quicunque iuxta eiuſdem ſanctæ Eccleſiæ tuæ formam, ipſorum aliquod ritè portauerit, vſuſque fuerit, in ordine Primatiæ facias eum annis eſſe multiplicem, corporis robore ſalubri vigentem, & ad ſenectutem optatam peruenire fœlicem. Sit ei Domine fiducia apud te gratiam obtinendi pro populo, quam Aaron in tabernaculo, Eliſæus in fluuio, Ezechias in lecto, Zacharias vetulus impetrauit in templo. Sit

ei Domine regendi authoritas, qualem Ioſue ſuſcepit in caſtris, Gedeon ſumpſit in præliis, Petrus accepit in claue, & Paulus eſt vſus in dogmate. Viſita eum Domine ſicut viſitaſti Moyſen in Rubo, Ieſum naue in prælio, Gedeonem in agro, & Samuelem in templo: Et illa cum benedi † ctione ſyderea, ac ſapientiæ † tuæ rore perfunde quam Beatus Dauid in Pſalterio & Salomon filius eius te remunerante, percepit de cœlo. Sit ei hoc contra Dæmonum acies lorica, in aduerſis galea patientiæ, in proſperis humilitas, & in protectionem ſanctitatis plenariæ clypeus ſempiternus. Et ita Domine ipſorum Paſtorum Primatumque tuorum cura tuo proficiat in ouili, ſicut Iſaac profecit in fruge, & Iacob eſt dilatatus in Grege. Per eundem Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum filium tuum, qui tecum viuit, & regnat in vnitate eiuſdem

Digitized by Google

Spiritus ſancti Deus: Per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

Huc vſque tranſſumptum ritus & formæ Benedictionis Palliorum, nobis Roma mandatum: nam Rubrica de Ritu aſperſionis cum aqua benedicta, & incenſationis ipſorum, thure prius benedicto, quæ in originali ſequi debere videtur poſt hanc orationem, in ipſo deeſt. Sed facile ſupleri poteſt ex Rubricis Miſſalis Romani de Benedictionibus candelarum, aut palmarum, quarum idem ferè videtur eſſe ritus, cum ritu Benedictionis Palliorum. Cætera quæ hîc addi poſſent, & quodammodo ad eundem ritum pertinent, repete ex capite quarto, in quo de Benedictione Pallij tractauimus.

CVm finem huic editioni imponeremus, communicata fuit nobis ab adm. Reue-

Digitized by Google

rendo D. du Sauſſay, (qui nouiſſime Pallium petiit, obtinuit, recepit, & attulit Roma, pro Illuſtriſſimo & Reuerendiſſimo Archiepiſcopo Burdegalenſi, tanquam eius in hoc negotio Procurator) formula, qua peti ſolet Pallium à Papa ab Auocato Conſiſtoriali, dum ipſe ſummus Pontifex eſt cum Eminentiſſimis Cardinalibus in Conſiſtorio. Illudque petiit Auocatus prædicti D. du Sauſſay genuflexus cum ipſo ante Papam ſupplicans in hanc formam.

Inſignis veſtra Archiepiſcopalis Eccleſia Burdegalenſis, ſanctitati veſtræ, & huic ſanctæ ſedi fide, ac deuotione addictiſſima, humiliter poſtulat vt Pallium de Beati Petri corpore ſumptum, in quo Pontificalis Officij plenitudo vna cum Archiepiſcopali denominatione confertur, Sanctitas Veſtra tradi iubeat Reuerendo Patri Henrico de Bethunes, nuper Epiſcopo Malleacenſi, ad prædictam Archiepiſcopalem Eccleſiam per Sanctitatem Veſtram promoto; pro quo obtinendo Petrus du Sauſſay, eius Procurator legitimo ſuffultus mandato, ea qua decet humilitate ac reuerentia ſupplicat inſtanter, inſtantius, inſtantiſſime.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

2 _ 2 _ 2

Digitized by Google

BIBLIOTECA

Digitized by Google